REGIAE
IN
POLONIA DIGNITATIS ORIGINES
COMMENTATIONE HISTORICO CRITICA
REQVISITAE
A
WOLF BALTHAS. ADOLPHO
DE STEINWEHR.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM
IMPENSIS IOAN. CHRISTIANI KLEYB,
MDCCLVIII.

REGIAE
IN
POLONIA DIGNITATIS ORIGINES.

I.
INSTITVTI COMMENDATIO.

STATVTVM habeo, REGIAE IN POLONIA DIGNITATIS perquirere NATALES; primumque tanti ſplendoris, vulgo qui celebratur, ortum diligentius contemplari. A quo me conſilio, argumenti ſi ſpectes praeſtantiam, quantumuis licet commendabili, at a non prorſus nullis, quanquam diſpari ſucceſſu, praecepto occupatoque, parum aberat, quin temporum noſtrorum conſideratio reuocaſſet; vtpote quibus nihil fere elegantiorum exſpectatione dignum, niſi inauditum eſſe videtur. Perinde, quaſi nouitatis tantum gratia delectari, quam certam tenere ſententiam, nullaque dubitatione impeditam,

 pluris

pluris ſemper referat. Enimuero haec animo agitanti mihi, accidit, vt peropportune in manus veniret IO. GOTTL. BOEMII DE ORIGINE REGIAE DIGNITATIS IN POLONIA, RECITATIO ACADEMICA, CRISENII BEROENSIS, PASTORIS ARCADIS, nomine in lucem edita. Qua quidem, vt reliqua hominis, hiſce ſtudiis cultiſſimi, ſcripta iucunde identidem lego, auide arrepta, ac pene deuorata, coepi ego mecum continuo ſic cogitare: „Huius hunc ſi non „ſuppuduit argumenti Lipſiae, in illa politioris elegantiae „officina celebratiſſima; in tam illuſtri acutiſſimorum litte„ratiſſimorumque hominum conſeſſu ac frequentia; ad „Principem, quod maximum fuerit, dum verba facit, et „Coniugem, quicquid optimorum eſt ſtudiorum, nam ſic „fama fert, ſublimi ingenio complectentem, fouentemque „gratia plane ſingulari:„ Hic igitur, ſi cauſſam, nihil minus quam nouam, in qua complures iam non ſine ingenio, et cum induſtria ſunt verſati, exornandam ſibi nihilo quidem ſecius publice ſumſit; eccur vero mihi fraudi fore cenſeam, quod eandem, in contrariam licet partem propendens, retractandam paullo accuratius, ſuſcipiam? Habent praeter ea ſententiarum diuortia, vti alias, ſic in rerum praecipue geſtarum deſcriptione, inſignem hanc, cum magna copulatam vtilitate delectationem: Vt, qua ex re nonnullis exciderint quaedam nec opinantibus, alios ſola nominum auctoritas in errorem induxerit, hi ſuſpenſo, diffidentes, gradu praeeuntium veſtigia legant, illi

illi impetu quodam, ac veluti ſaltu, quo tendunt, penetrent, modo a partium fueris ſtudio remotus, nihilque odio dederis, gratiae nihil, tanto clarius perſpicias, quanto vel errandi exemplum vulgo prodiderint plures, vel, ſiue ſtudio, ſiue caſu, ad veri ſincerique cognitionem peruenerint.

II.

ORIGO REGIAE DIGNITATIS IN POLONIA NEC AD OTTONEM I. NEC II. IMPP. REFERENDA. NEQVE MISECONI CONTIGIT ESSE TAM FORTVNATO.

QVAMVIS ergo, vt hinc procedamus, veniam facile demus hiſtoricis, qui, regiae in Polonia dignitatis primordia vt auguſtiora faciant, ad Romanum eandem Imperatorem referunt; noſtrae tamen haud ferunt rationes, vt aſſentiamur HERMANNO HERMES [1]: Quem, dum Ottonem Magnum eius conſtituit auctorem, deſtituit ſine dubio memoria; neque adeo, vt approbatorem nactus ſit, promeritum; dum modo plane, numero inter eruditos locoue qui ſit, quendam habuerit vnquam. Pari modo capere me non poſſe profiteor, quid animi ſuper hac re ALBERTO ſit CRANZIO, hiſtorico haud ignobili, at temporum hic numeros rationesque grauiter conturbanti; dum, quicquid in Boleslaum Chrobrium contuliſſe fertur a plurimis Otto III. id vero ab Ottone II. profectum

 fectum

1 Faſcic. iur. publ. p. 34. ed. 1697.

fectum esse omne, contendit [2]. Quo minus mirum videatur nihilo magis oscitanter idem de Ottone II. prodidisse SEB. MVNSTERVM, quando in eius memorabilibus habendum tradit: *Sublimatum ab eo esse Poloniae ducatum in regnum* [3]. Superat autem vtrumque, ac caecutit misere IOANNES ille apud SOMMERSBERGIVM [4], chronici auctor Polonici. Is enim, quod Ottoni II. asserebant frustra illi, id vero iam a tertio demum tributum esse Boleslai patri, Miseconi, tam confuse, quam temere pronuntiat [5]. Cui quidem, vtrum aetas, quae inter DLVGOSSI et KADLVBKONIS tempora incidisse fertur SOMMERSBERGIO [6], probabilem dare excusationem possit, vehementer dubito.

QVAE res quoque facit, parum vt nos moretur cum Misecone suo DLVGOSSVS, magna ceteroquin inter suos auctoritate; at infidus, vel ipso fatente CRISENIO [7], in rebus vetustis dux. Hunc nempe si audiamus, praelatorum baronumque quotidiano fere conuicio obsecundans, Christianorum ante aliquod tempus sacris initiatus Miseco, Cracouiensem praesulem, Lambertum, ad Benedictum VII. ablegat; eoque rogat interprete, de constan-

2 Vandal. L. II. cap. 36. et Saxon. lib. 4. cap. 33.

3 Sic nempe SARNICIVS Annal. lib. 6. cap. 9. Multum autem distare SARNICIANVM oportet MVNSTERVM ab auctore cosmographiae, de Ottone III. pluribus tradente, p. 894. ed. Lat.

4 Script. rer. Siles. T. I.

5 l. c. p. 4. Rectius igitur AVCTOR CRONICE PRINCIPVM POL. sentit T. I. horum scriptorum, p. 17.

6 initio praefationis.

7 de ortu regiae etc. recit. p. 4.

8 hist. Pol. lib. 2. p. 121. 122. ed. Lips.

9 Chron. Polon. L. 2. cap. 1. in IOPISTO-

ſtantia principis in ſuſcepta profeſſione, fundatis eccleſiis cathedralibus nouem, gloriaque, tum rebus ſtrenue geſtis, tum multarum gentium, quibus imperet, copia, parta, amplificata, multa interſerente, vt tanto ornatui domeſtico regium addat ſplendorem. At enim, dum in eo eſt Pontifex, vt, quod ſtatim liberaliter ſe facturum receperat, exſequatur, intempeſtiue interuenit Micislai ex ſorore Adelheidi nepos, Stephanus, Hungariae Dux, Papamque de eodem beneficio interpellat. Hoc equidem, quo minus afficiat vtrumque; impedire nihil videbatur. At negat tamen Polono Papa, vel coeleſtis genii ſpecie, per ſomnum oblata, ſubmonitus; vel quod Miſeconem, dum haec aguntur, diem ſuum obiiſſe, certior fit. Haec igitur CANONICVS ille CRACOVIENSIS [8], nobis vel ideo non praetermittenda, quo certius conſtet, ne a Pontifice quidem, quae animo concepiſſe dicitur, Miſeconem impetraſſe. Quo facilius ſuo patiamur abundare ſenſu MATTHIAM DE MICHOVIA [9], MART. CROMERVM [10], ALEX. GVAGNINVM [11], NIC. HENELIVM [12], et ſi qua ſunt alii, inconſulta LONGINI veneratione in transuerſum acti.

III.

PISTORII Script. rer. Polon. T. 2. p. 20. vbi, *nondum dignos fore Polonos, vt eis corona hactenus deberet conferri*, loquentem inducit Papam.

10 Cauſſam affert: *Quod Poloni minus caſte religionem colere dicerentur.* de orig. et rebus geſtis Polon. L. 3. T. 2. PISTOR. p. 436.

11 *Suſpicabantur*, inquit, *nondum eum perfectum Chriſtianum eſſe.* Compend. chron. Pol. T. 2. PISTOR. p. 346.

12 Annal. Sileſ. T. 2. S. R. Sileſ. p. 203. CARTVITIVM, D. Stephani hiſtoriam condentem, eademque chorda oberrantem, ipſumque adeo BARONIVM, eius auctoritate confidentius vſum, grauiter confutat VORBVRGIVS Hiſtor. Ottonum, p. 149. ſq.

III.

AVCTORES, BOLESLAVM CHROBRIVM AB OTTONE III. REGEM APPELLATVM, PERHIBENTES, PRODVCTIS.

QVOD igitur, Miseconi fata negasse videbantur decus, neque transmittere poterat filio pater, capessit, tanquam amplissimum fortunae munus, magnorum sibi tamen conscius facinorum, BOLESLAVS, acris princeps animi, excitatique; sic enim, CHROBRI, vim interpretantur saniores [13]. Regiam scilicet capessit e manibus Ottonis III. coronam. Hoc namque eminenti honoris genere affectum esse ab Imperatore Ducem, magno magis quam mirabili consensu tradunt, qui nunc succurrunt, nam vel plures longe esse, quis dubitet? ADEMARVS [14],

MART.

13 Rideamus, licet, inficeti ingenii IOANNEM, qui *Miseconi*, inquit, *successit filius eius Boleslaus I. qui dictus est Traba, id est mirabilis, vel bibulus, qui dicitur sic Tragbir.* In chron. apud SOMMERSB. S. R. Siles. T. I. p. 5.

14 Quanquam enim is corona tum ab Ottone III. Boleslaum esse, expressis verbis non dicat, neque tamen id a superiorum quodam factum refert: Vt adeo, hac eum mente fuisse, dubitari vix possit, dum Boleslaum, regem Sclauoniae, ab Adalberto ipso baptisatum, magnis datis muneribus Adalberti caput corpusue obtinuisse, tradit, apud LABBEVM Bibl. noua MSS. T. 2. p. 168.

15 Chron. p. 61.

16 Hist. Pol. lib. 2. ep. 11. T. 2. DLVG. p. 643. sq. ed. Lips.

17 in SOMMERSB. S. R. Siles. T. 2. p. 25.

18 Hist. Polon. L. 2. p. 130.

19 Chron. Pol. L. 2. c. 4. in PISTORII S. R. Pol. T. 2. p. 22.

20 Annal. Pol. L. 6. c. 5. p. 1048. sq. ed. DLVG. Lips.

21 de orig. et reb. gest. Pol. in PISTOR. l. c. p. 437.

22 Ind. chronol. ad a. 999.

23 Annal. Siles. ad h. a.

24 del governo ed amministrazione di diversi regni et republiche, fol. 78. ed. Venet. 1678.

MART. GALLVS[15], VINCENTIVS KADLVBKO[16], BOGVPHALVS POZNANIENSIS[17], IO. DLVGOSSVS[18], MATTHIAS DE MICHOVIA[19], STANISL. SARNICIVS[20], MART. CROMERVS[21], ABRAH. BVCHOLZERVS[22], IOACH. CVRAEVS[23], FRANC. SANSOVINO[24], IO. SLEIDANVS[25], THOM. IORDANVS[26], ANT. ALBIZIVS[27], IO. SCHICKFVSIVS[28], IO. MOLLERVS[29], IO. CLVVERVS[30], GASPAR SCHÜTZIVS[31], IO. MICRAELIVS[32], GASPAR IONGELINVS[33], ALEX. GVAGNINVS[34], IO. LVD. DECIVS[35], HERBVRTVS A FVLSTIN[36], CHRIST. MATTHIAE[37], MARC. ZVER. BOXHORNIVS[38], GEORG. HORNIVS[39], THOM. CZECHORODIVS[40], BOHVSL. BALBINVS[41], SALOM. NEVGEBAVER[42], IO. LIMNAEVS[43], NIC. HENE-

25 de 4 monarch. l. 3. p. 271. ed. MEIBOM. Quo loco IO. BODINI coarguit impudentiam editor, Polonos ſcribentis, ſceptra regia ſibi ab Imperatoribus Germanicis oblata, recuſaſſe, de republ. l. 1. c. 9.

26 in genealogiis ad DVBRAVII hiſt. Boh.

27 principum chriſt. ſtemmat. fol. 19.

28 chron. Sileſ. l. 1. c. 12.

29 hiſt. Ducum Lignic. l. 1. c. 6.

30 epit. hiſt. p. 542. ed. Lugd. 1631.

31 chron. Pruſſ. ad a. 997.

32 Pomer. vet. ad a. 1000.

33 notit. abbat. ord. ciſterc. l. 5. praef.

34 compend. chron. Pol. ap. PISTOR. l. c. p. 347.

35 de vetuſtate Pol. in PISTOR. l. c. p. 277.

36 chron. Pol. l. 2. c. 4.

37 theatr. hiſt. p. 886. 887.

38 hiſt. vniuerſ. ad h. a.

39 introd. ad hiſt. vniuerſ. regn. Polon. et Orbis polit. p. 406. ed. Lipſ. 1675. et orbis imperant. p. 462. ed. Lipſ. 1693.

40 Mart. Morau. l. 3. c. 1.

41 Miſcell. Bohem. Dec. 2. l. 2. tab. gen. duc. Sil.

42 hiſt. rerum Polon. l. 3. p. 53. ed. Hanov. 1618. et icon. et vit. princip. ac regum Polon. p. 31.

43 Iur. publ. 2. 9. 21.

B

HENELIVS[44], IO. THEODOR. SPRENGERVS[45], IOACH. PASTORIVS[46], CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS[47], MART. HANKIVS[48], IO. CHRIST. BECMANNVS[49], GOTOFR. FERD. BVKISCH[50], FRID. LVCAE[51], HENR. COCCEII[52], IO. PETR. LVDEWIGIVS[53], IOSEPH. BARRE[54], IO. IAC. MASCOVIVS[55], SAM. FRID. LAVTERBACHIVS[56], GEORG. DAVID ALANDIVS[57], IO. GVILIELM. BERGERVS[58], CRISENIVS denique BEROENSIS[59].

IIII.

A QVA SENTENTIA, QVAM OB REM RECEDAMVS, RATIONES GENERATIM IN MEDIVM PROFERVNTVR.

POTERAT omnino haec, ſi ex more liceat et conſuetudine iudicare, tam inſigni ſuffragatorum ſtipata multitudine ſententia, ſi non animum addere ad eam acceſſuro, eo ſaltem facere, vt, ſi quid forte ſubtimeat, colligat ſe et confirmet; quando poſt principia ſtandi hic certe locus eſt. At neutrum horum apud nos effecit: Vt quos nec ſolus, procul habito argumentorum pondere, nume-

44 annal. Sileſ. in SOMMERSB. T. 2. p. 202.
45 Pol. nov-antiqu. p. 4.
46 Flor. Polon. l. 2. c. 1. p. 27.
47 de rep. Polon.
48 de rebus Sileſ. c. 7.
49 Syntagm. dignit. diſſ. 1. c. 1. §. 7. E 1. hiſt. orbis terrar. geogr. et ciuil. P. 2. c. 8.
50 in eccleſ. Sileſ. hiſtor. Proleg. c. 1. §. 7.
51 Sileſ. Memorab. P. 1. c. 3. n. 6.

merus ad ſe pertrahat; neque rationum vt diffidamus momentis, licet multo a nobis ſteterint pauciores, temere inducat. Iam enim ſic nobis perſuaſimus pridem: Qui in vindicando Boleslao I. regiae appellationis ornamento toti ſunt inter Polonos hiſtoriae gentis conditores antiquiſſimi, eos minime eſſe, in quibus et temporis, et attentionis, et dexteritatis ratione habita, non plurimum deſiderari merito poſſit: Recentiores autem ſuſceptae caritate rei in aliam eſſe ſententiam abreptos. Qua re factum, nunc, vt ſubobſcuris hiſtorici verbis lumen adhibituri, vim ſententiamque praeconceptam inferant potius, quam latentem producant; nunc, ſi quid alias factum, quod eius ſimilitudinem habeat, adeoque, quo minus fieri queat, non repugnat, re quidem vera factum eſſe, non oſtendant, prolatisque documentis planum faciant, ſed argumenta nectendo eliciant et concludant; nunc ſepulcrali, minus ac pro dignitate tuto, lapidi ſecurius inſiſtant; denique rem etiam aliam, ac de qua inſtituebatur quaeſtio, quae circumſtant pariter atque conſequuntur, in ſubſidium vocent; tandem, vt ſummam faciam, ex ingenio magis, quam rerum actorumque monumentis, id, pro quo connitebantur, repetant et exponant.

52 Prud. I. P. c. 3. ſect. 4. §. 53.
53 de iure appellandi reges c. 2. §. 7.
54 hiſt. Germ. verſ. Germ. Vol. 2. p. 611.
55 Comment. de reb. Imp. R. G. a Conr. I. p. 101. 102.
56 chron. Pol. p. 87.
57 de habitu Imperii Germanici ſub ſtirpe Sal. erga Polon. p. 12.
58 oratt. lectior. p. 957.
59 de ortu reg. dignit. in Pol. recit. Lipſ. 1754.

V.

ITER OTTONIS III IN POLONIAM. EIVSDEM CAVSSAE. SARNICIVS ET BARRIVS NOTATI. MAGNIFICENTIA DVCIS. VIA, PANNIS STRATA.

IAM vero nihil a nobis durius quam par erat, dictum esse, postea vt appareat, rem, prouti gestam commemorant, omnem, scriptores vel Poloni ipsi, vel cum iisdem sentientes, subiunctis eorum testimoniis enarremus.

OTTO igitur tertius, Imperator, sedatis in Italia Crescentii, cum eius internecione, tumultibus, redditoque sedi, vti dicitur, apostolicae, ordine, magnis in Poloniam itineribus, anno M. contendit. Huc vt diuertat, caussam habet non vnam, graues autem omnes. Scelus nempe, conscientiae stimulis agitatus, in Comitem Mutinensem com-

60 in PISTOR. l. c. p. 437. *Pacatus*, inquit, *in Poloniam ad sepulchrum noui Martyris venit Otto; siue exsoluendi voti, quod, graui morbo implicatus, vouerat, gratia, siue expiandi sceleris caussa, quo comitem quendam insontem, calumnia libidinosae vxoris suae incitatus, pro adultero, indicta caussa interfici iusserat.* Fabulam vero redolet, quicquid huius est. Nam, cui scelus hoc improperatur, Maria dicitur, Garsiae Tremuli, Nauarrae et Aragoniae Regis filia. At nec Aragoniam possedit Garsias; nec Aragonia ante annum 1035 regni nomine condecorata; nec inter Principes quaedam Maria hisce temporibus omnino deprehenditur. Quare mirum non est, veteres probatae fidei scriptores Mariam hanc, tanquam Ottonis coniugem, profunde ignorare. Multus quidem est in describendo, quod admisit, crimine, GODEFRID. VITERB. P. 17. in S. R. G. PISTORII T. 2. p. 328. ed. STRVVII; sed solus. Quem adeo ANDREAS PRESBYTER, Chron. Bauar. p. 29. SIFFRIDVS PRESBYTER ad a. 988. praeter rem secuti, ENGELHVSIVM, SIGONIVM PONTANVM, vt eadem oberrent chorda, induxerunt. Rectiora docuit MVRATORI

commiſſum, expiare ſtudet: Vtpote cui, a coniuge, ob acceptam ſpretae ab illo formae libidinisque contumeliam, immoderatius offenſa, Comitemque, tanquam pudicitiae inſidiatum ſuae, accuſante, extimulatus, caput illico praecidi iuſſerit; ab occiſi poſtmodum vxore ferri candentis innocua contrectatione, at ſero nimis, meliora doctus. Sic nimirum CROMERVS [60]. Minime vero intercedit idem, ſi quis grauiſſimo Imperatoris morbo iter illud Polonicum tribuat; qua in re DLVGOSSVM [61], MATTHIAMQVE ſequitur DE MICHOVIA [62], perinde ac hoſce tres GVAGNINVS [63]. Medius inter hos, interiectusque SARNICIVS malum demonſtrat venenum; quo, tinctis a Creſcentii vidua chirothecis, mortifero mulieris, ob non ſeruatam de ſe ducenda fidem, dono, dum nihil tale cogitans vtitur Otto, mox totum peruadi corpus ſentiat [64].

 QVAE

TORI hiſt. Iſal. P. 5. p. 650. ed. Germ. AVGVSTIN. ERATH in rebus S. Andreanis, apud DVELLIVM Miſc. l. 2. diſſ. de Ottone III. Idem forte ſubinnuit MARTINVS GALLVS in chron. *Orationis et reconciliationis gratia Ottonem ad S. Adalbertum introiuiſſe*, ſcribens, l. c.

61 p. 120. ed. Lipſ.

62 in PISTORII T. 2. p. 22.

63 ibid. p. 346.

64 *Voti exſoluendi cauſſa*, inquit, *quo ſe obſtrinxerat, periculoſo morbo laborans, ad Adalberti ſepulchrum contendit. — Sublato Creſcentio, cum eius vxore conſueſſe dicitur; ad extremumque eam ſibi vxorem fore, fertur ei promiſiſſe. Quod, quia non praeſtitit, venenum ei in chirothecis, quas Roma diſceſſuro donauit, mulier iſta obiecit. Aculeo veneni laeſus Imperator confidebat, ſe opem a diuo Adalberto, tanquam ſuo populari et domeſtico numine citius relaturum.* T. 2. DLVG. p. 1049. Male vero rationes ſubduxit SARNICIVS. Stephania enim, Creſcentii vidua, tum demum, cum e Germania, poſt iter Polonicum Romam denuo profectus eſſet Otto, *dolens repatriantem, et nuptiis ſe fruſtrari, miſſo clam veneno illum infeciſſe* dicitur REINERO in vita S. Wol-

QVAE res vtcunque ſe habeat, voti religionem interceſſiſſe, quos aduocaui, confirmant ad vnum omnes; eam in rem ſuſcepti, vt vel recuperandae penitus ſanitatis, vel gratiarum, fuſa oratione, oblatisque perliberaliter muneribus [65], tanto dignis beneficio, agendarum cauſſa, ſancti exuuias Adalberti veneraretur; minori haud ita pridem pretio, quam Boleslai labore redemtas, Gneſenaeque conditas, miraculorumque fama magnopere celebratas [66]. Nihil adeo deterret Principem, inſuperabilis fere, niſi leviorem feciſſet pietas, rei moleſtia. Milliaria ſunt, ſic voti fert formula, omnino conficienda ſeptem; tot namque lapidum interuallo a Poſnania diſtat Gneſna, nudisque, incredibile dictu, pedibus [67].

DILAV-

S. Wolbodonis Leodienſis, §. 9. *Potionatum* fuiſſe ab ea LEO OSTIENSIS Chron. l. 2. c. 24. in Collect. S. R. Italic. T. 4. p. 355. *Pelle ceruina venenata peremtum*, LANDVLPHVS SENIOR hiſt. Mediol. l. 2. c. 19. in S. R. Italic. T. 4. p. 81. ROBERTVS TVITIENSIS in vita S. Heriberti c. 3. §. 10. AVCTOR VITAE MEINWERCI §. 10. *veneno interfectum Ottonem*, dicunt. Nouum vero commentum hoc eſſe, ERATHIO videtur, quod de veneno interſeritur, eo, quod taceat prorſus DITMARVS; *vir*, ſecundum BARONIVM, *ſanctitate praeſtans; qui vel leue quoddam mendacium in hiſtoria non ſecus, ac capitale piaculum exhorruerit.*

65 Orationis cauſſam affert DITMARVS, l. 4. p. 43. edit. REINECC. ANNALISTA SAXO ad a. 1000. ANN. HILDESHEIM. ad h. a. CHRONOGR. SAXO ad a. 996. non modo orationis cauſſae, ſed etiam imperialium donorum mentionem facit. *Digna Sancto munera oblaturus, in Poloniam verſus* dicitur DLVGOSSO l. c. Ante hos BOGVPHALVS *gratia viſitandi ſancti limina Adalberti Poloniam ingreſſum Ottonem*, dicit, SOMMERSB. T. 2. p. 25.

66 *Caeſar, auditis mirabilibus, quae per dilectum ſibi martyrem, Dominus fecit Adalbertum &c.* DITMAR. l. c. *Audiens, tanta miracula ad ſepulchrum diui Alberti in Polonia fieri.* GVAGNIN. l. c. p. 346. *Miraculis ſingularibus et ſtupendis, quae clementia Saluatoris per merita Alberti operata eſt, et in oras longe lateque diffundentibus &c.*

DLV-

DILAVDENT historici Ducis magnificentiam Poloni, extollantque pro eo ac meretur. Tanto enim, si modo vires ferrent, dignum maiori, summum excipit apparatu hospitem Boleslaus, vt cum ingenii solertia splendor certasse videatur [68]. At poterat certe, quicquid hoc fuerit, esse cum aliis ipsi commune, fuitque nonnunquam re quidem vera. Vnum sine dubio proprium ei est et singulare, honor, quo prosecutus est Ottonem; qui, ante vel post haec tempora, nescio an habitus sit vlli. Omnem, qua erat incedendum Imperatori, viam, quam longe porrectam, varii coloris insterni iubet pannis Dux; cauetque tali modo, ne nudis Caesar, vt erat, pedibus, terram vllibi contingeret [69].

HOC

DLVGOSS. l. c. CROMERVS in eandem sententiam l. c. p. 437.

67 *A Poznania vero in Gnesnam septem milliaria, quoniam ex voto tot milliaria pedes iturus erat Otto &c.* MICHOV. l. c. p. 22. *Et quoniam Otto in conditione voti sui habebat, septem milliaribus pedestre iter conficere, ex Posnania, tanto enim spatio iter intermedium versus Gnesnam protenditur, ire decreuit.* DLVG. l. c. DITMARVS autem, *videns*, inquit, *a longe vrbem desideratam, nudis pedibus suppliciter aduenit.* l. c. *Hanc vrbem occurrente sibi loci Episcopo, nudis pedibus intrauit.* l. c.

68 Secundum MARTINVM GALLVM *Boleslaus Ottonem magnifice et honorifice suscepit.* (addit BOGVPHALVS: *Magnifice pertractauit.*) *Nam magnificentiam mirificam in aduentu prodidit. Inprimis acies militum multimodas, deinde principum in planitie spatiosa quasi choros ordinauit. Singulas diuersitas indumentorum discolor variauit; et quicquid poterat vsquam gentium pretiosius reperiri, ibi erat. Quique milites et feminae curiales pellibus vtebantur. Nec pelles, quantumuis pretiosae, licet nouae fuerint, in eius curia sine pellio et aurifrisio portabantur.* l. c. *Occurrit ei*, MICHOVIA l. c. inquit, *Boleslaus in metis cum caterua militum, et conducebat eum maxima pompa ac veneratione, et omnium necessariorum in victu et supellectile sumtuosa profusione.* Idem fere GVAGNINVS l. c.

69 Habet haec AVCTOR CRONICE PRINCIP. POL. p. 17. MICHOVIA

HOC IPSVM vero pereximium colendi Ottonis genus ſi ſeponamus, ad quod tam conſpicua, omneque ſupergreſſa exemplum eius pietas quin prouocaret Boleslaum, ambigi nequit, nihil maius, ac pro officio, facit idem. Inprimis ſi verum eſt, quod Polonicorum hiſtoricorum nemo fere dubitat, Imperatorem fama virtutum Ducis, ingentisque nominis opinione, multas longinquasque terras peruagata, mirifico videndi eius cognoſcendique deſiderio incenſum fuiſſe [70]. Quod vti in medio relinquimus, ſic res ſibi ſuas habere SARNICIVM, ac quem ad modum rerum intelligentibus latentem hanc ſecretioremque aduentus Ottonis in Poloniam cauſſam approbauerit, ipſum videre iubemus: Quando *ex circumſtantiis aperte liquere* perhibet, eo veniſſe Ottonem, vt *bellicoſum virum, quem ferro auertere non poterat, dum in Saxonia bella gerit, beneficio aliquo placatum ſibi redderet, deuinciretque. Nam non temere in hiſtoria addi, quod abſoluta ceremonia coronationis, conclaue ſecretioris conſilii intrauerint, ibique multa de iis, quae pertinebant ad ſalutem reipublicae chriſtianae, inter ſe contulerint* [71]. Lynceum ſane oportuerit eſſe, cui ex hoc, quod coronationem inſecu-

CHOVIA et DLVGOSSVS ll. cc. SARNICIVS l. c. inter mira refert narrata ſibi, cum iuuenis Poſnaniae ageret, a ciuibus de hac pompa ingreſſus Imperatorii. GVAGNINVS l. c. ſericeos etiam pannos inſtratos, prodit.

70 Sic enim MARTINVS GALLVS, *glorioſi etiam cognoſcendi Boleslai fama, introiiſſe Ottonem Poloniam* perhibet l. c. KADLVBKO L. 2. ep. 11. prae ſtili barbarie modo recte eum capiamus, primariam hanc rationem effert: *Deſiderio,* inquiens, *experiendi ea, quae fama de Boleslao fude-*

ſecutum, colloquio, ſubiectaue ei materia, nata in SARNICII ingenio cauſſa in oculos incurrat.

VELLEM denique hunc de cauſſis itineris Ottoniani locum, ob varia hiſtoricorum ſtudia late patentem, pertractans, et optarem, vt IOSEPHO placuiſſet BARRIO, ſui nihilo magis honoris, quam noſtri commodi ergo, locupletem oſtendere auctorem, quo ſe tueatur, prodens, Boleslao, vt coronam impertiretur, hanc in ſententiam perſcriptis roganti litteris, Ottonem id eſſe pollicitum, eamque ſe ob rem in viam dediſſe [72].

VI.

SPLENDORIS DVCALIS DOCVMENTA. MVNERA DATA, ACCEPTAQVE. CORONATIO, QVAM MAGNA POMPA COMITATVR, MAIVS SEQVITVR, QVO AFFECTVS FERTVR DVX, HONORIS GENVS. BARRIVS TACTVS.

HARVM iam cauſſarum, quaenam prae ceteris mouerit Ottonem, haud equidem in magno ponam diſcrimine. Aduenit Imperator, introductusque a Praeſule, relictis

fuderat, Poloniam ingreditur, quaſi beato martyri Adalberto votiuam exhibiturus reuerentiam. DLVGOSSVS *Ottonem ſimul vt votum perſolueret, et Boleslai perſonam, quam vniuerſorum fama magnis celebrabat laudibus, videret, proceſſiſſe,* memoriae prodidit. *Conſtabat quoque,* pergit idem, *illum non ſolum pro viſendo corpore beati Adalberti Poloniam profectum eſſe, ſed etiam Boleslai fama pertractum.*

71 DLVGOSSI Lipſ. T. 2. p. 1050.

72 T. 2. p. 611. verſ. Germ.

lictis omnibus, mortale quod habuit Adalbertus, visit; tanta mentis castimonia ad preces incumbens, vt magnam lacrimarum vim profundat [73]. Postridie eius diei plenus admiratione, quam iniecerat cum lectarum cohortium mascula pulcritudo, tum concursantium vtriusque sexus hominum frequentia, magno conspicua vestium ornatu, amplius aulae splendor copiosissimae, ad pompam nihilo magis quam grauitatem compositus; auri denique argentique, quod mensas onerabat pondere haud secus, ac artificio oculos ad se trahebat, tanta copia, vt Attalicas fere opes exaequare videatur, multo magis istas explicantis diuitias Boleslai afficitur liberalitate Imperator. Quicquid nempe earum mensae inseruierat exornandae, vt alia taceam munera, in Caesaris deferri iubet cubiculum. Immo quoad, celsissima dignitate hospitis praesentia, honoretur, quotidie

73 DITMAR. h. l. CHRONOGR. SAXO h. l.

74 Sic AVCTOR CRONICE PRINCIPVM POLONIE p. 18. *Honoratus*, MICHOVIA inquit *aliquot diebus non solum superba mensa et victualibus, sed muneratus variis et pretiosis. Singulis namque diebus alii et alii ordines militum et ministrorum ferebant dona Ottoni: Vasa aurea et argentea, gemmas varias et monilia, equos et vestes, auro ostroque intextas, purpuras, pellesque magni pretii etc.* l. c. CROMERVS, dignus qui audiatur, *acceptus est* inquit, *plus quam regali magnificentia et liberalitate; et cum aliis amplissimis donis, tum abaco et instrumento mensae omni aureo et argenteo; quod triduo nouum semper promebatur, aulaeisque et vestibus pretiosis donatus*, l. c. In eandem sententiam DLVGOSSVS l. c. Ceterum quod idem ille de virtutibus Boleslai, quae tantam fecerint admirationem Ottoni, perinde ac alii, latius refert, contrahit pro sua elegantia KADLVBKO: *Ipsius*, inquit, *virtutes non satis potuit admirari. Qas dum velut in quendam spherae glomicellum in hunc solum et vidit et inuidit congestas.* l. c.

75 Perquam diligenter circumspexisse oportuisset Ottonem, quod ab eo factum

tidie idem facit lautiſſimorum principum facile princeps [74]. Vna tamen omnium maxime eius Ottonem erga ſe tenet pietas; qua ductus, nihil ad oſtentationem, cuncta ad venerationem refert; quicquid fecerit, quam oporteret, quam vellet ipſe, minus exiſtimans. Sic ſe gerendo effecit, vt Otto, cognita Ducis praeſtantia, longe, quam fama extulerat, maiori, cunctisque in rebus ſumma, cum Conſilio, ſecum quod habebat, cauſſam recognoſcat; ac de eius, in qua ipſe erat prior, ſententia, Boleslaum regio honore impertiatur; vt, qua deceret, cerimonia, inungat eum, Adalberti fratri Gaudentio, negotium det; ipſi coronam Duce, ſuo detractam capiti, imponat; Regem eum Poloniae, ſocium Imperii Romani et amicum proclamet; denique tributi nexu exſoluto, hanc ei, ſucceſſoribus, ac poſteris gloriam eſſe iubeat ſempiternam [75].

C 2 Immo

tactum praedicat KADLVBKO l. c. ſi animi ſui ſenſa tam comta, ſcilicet, oratione expoſuiſſet, ac idem perhibet, ridicula profecto, non imperatoria. Ceterum paullo verecundior GALLVS Ottonem ſic loquentem inducit: *Per coronam imperii mei, maiora ſunt quae video, quam fama percepi. Suorum*, pergit GALLVS, *conſulto magnatum, coram omnibus adiicit: Non eſt dignum, tantum virum ſicut vnum de principibus ducem aut comitem nominari; ſed in regale ſolium, redimitum diademate ſublimari. Et accipiens regale diadema capitis ſui capiti Boleslai in amicitiae foedus impoſuit; et pro vexillo triumphali clauum ei de cruce Domini cum lancea S. Mauritii dono dedit; pro quibus illi Boleslaus S. Adalberti brachium redonauit. Et tanta ſcilicet illa die delectione congregati, quod Imperator eum fratrem et cooperatorem imperii inſtituit, et populi Romani amicum et ſocium appellauit.* IOANNES SOMMERSBERGIANVS, licet Miſeconi per errorem tribuat, quae in Boleslaum fortuna contuliſſe dicitur, eum ab Imperatore, *triduano conuiuio delectato, intra prandium in menſa reſidente, coronatum narrat ſuo diademate, et ſic imperii feudalem factum.* Eadem fere habet, perpaucis immutatis AVCTOR

Immo vero, ſi DLVGOSSVM ſequaris, omnes Polonorum nationes regionesque nouo Regi, regnoque ſubiicit; quicquid terrarum barbaris, a vera fide remotis, aut errorum labe contaminatis eripiat olim, donat; albae inſigne aquilae tribuit: Denique, quo teſtatior eſſet memoria, priuilegium Imperiale, aurea bulla communitum, hanc in ſententiam perſcribi iubet; atque eodem ab omni obedientia et ſubiectione, ſibi, ſucceſſoribusque praeſtanda, Boleslaum, Regesque futuros abſoluit [76]. At harum tabularum, Poloniae omnino, modo fides habenda eſſet narratori, ſanctiſſimarum, quod merito doleat, nullum vſquam nec exemplum, neque veſtigium repertum eſt. Vnde iure etiam optimo exſpectamus, vt iſtud nobis recludat tabularium BARRIVS [77], in quo magni charta momenti, at aliud longe ac DLVGOSSIANA, continens, condatur.

CETERVM his peractis munera Boleslao porrigit Imperator, quae aeſtimationem vix capiant, adeo pretioſa erant: Clauum de cruce Seruatoris, Sanctique lanceam Mauritii; pro quibus, ne quid de argentea, qua per omne tempus, quo hic commorabatur, vſus erat, et illa quidem alia nouaque quotidie, ſupellectile dicam, S. Adalberti

CTOR CRONICE PRINCIPVM POLONIE apud eundem SOMMERSBERGIVM, T. I. S. R. Sileſ. p. 18. Quo loco ad MARTINI, (GALLI ſine dubio) Chronica prouocat. Vide etiam ſis BOGVPHALVM in SOMMERSB. l. c. KADLVBKONIS commentatorem. MICHOVIAM l. c. DLVG. l. c. GVAGNINVM, CROMERVM ll. cc.

76 DLVGOSS. l. c.

77 *Die Vrkunden*, inquit, *wegen dieſer Erhöhung halten in ſich, daſs Poh-*

berti brachium reportat [78]. At nec ſolum Adalberti, cuius vel maxime gratia, vel vnice huc diuerterat, brachium abeunti ſufficere ratus Boleslaus, trecentis, quod maxime ei placebat, donat loricatis Ottonem eundemque Magdeburgum egregio comitatu reducit [79].

VII.

SARNICII CONFIDENTIA. LVBIENII PROTERVITAS, MALE SIBI CONSTANTIS.

HABEMVS igitur regiae in Polonia dignitatis origines tam exploratas, atque hiſtoricorum plurimis adeo extra dubitationem poſitas, vt frontem ſuperciliumue, ſi quis ſcrupulum iniectum ſibi dicat, facile contrahant. Quid? quod Boleslao Audaci ob immanem Cracouienſis Epiſcopi, Stanislai Scepanouii caedem eo tantum a Gregorio VII. interdictum ſacris, de ſolio deturbatum eum, atque vt ad Illyrios profugeret, adactum eſſe, SARNICIVS credit [80], vt animum expleat, ob collatum olim in Chrobrium ab Ottone III. et ſummo quidem Pontifice inuito, ſaltem inconſulto, honorem, mirifice exacerbatum. ADEOQVE non ſatis proſpero factum omine LVBIENSKI exiſtimat, vt praetermiſſa ſedis Apoſtolicae au-

 ctori-

Pohlen als ein Königreich, ein Reichslehn ſeyn ſolle: Vnd daſs der König jährlich eine gewiſſe Summe dem Kaiſer zur Erkenntlichkeit (mallem *Erkenntniſs*) *der Lehnsherrſchaft zahlen ſolle.* Hiſt. Germ. verſ. Germ. T. 2. p. 612.

78 leg. hiſtoricos, modo laudatos.

79 DITMAR. p. 43. MICHOVIA, GVAGNINVS, DLVGOSSVS ll. cc. ad fines vſque regni Boleslaum comitem ſe Ottoni praebuiſſe referunt.

80 l. 6. c. 9. p. 1057.

ctoritate, ab Ottone III. corona regia Reges Poloniae exornati ſint; neque diu durare decus hoc potuiſſe, non a ſolo, vti debuerit ſummo religionis chriſtianae praeſide, ſed ab Ottone, cuius auus et pater plurimum ſibi iuris in ſedem apoſtolicam arrogauerit, profectum [81]. Et vero fidem habet SARNICIVS [82] AVCTORI HISTORIAE CALVI MONTIS, Benedictum VII. referenti, conflatam ex auro puriſſimo coronam paratam pro Boleslao noſtro habuiſſe, vt primum deſideret, ei mittendam: ſed, vbi audiuit, maluiſſe eum ab Imperatore coronari, Stephano, Regi Hungariae miſſam. Legas hunc locum in ADR. etiam REGENVOLSCIO [83]; qui praeter ea vel ſolus retundendae LVBIENSKII proteruitati ſufficiat, qua ductus, Ottonem non tam ſua, quam Sylueſtri II. cuius ſecum Diaconum, Cardinalem, Legatumque de latere in comitatu habuerit, auctoritate, coronam Boleslao impoſuiſſe, contendere haud erubeſcit [84]. At tu, vide mihi, quam ſibi parum conſtet LVBIENIVS. Quodſi enim praetermiſſa ſedis Apoſtolicae auctoritate coronatus ab Ottone Boleslaus eſt [85], quomodo Syluestri II. auctoritate, praeſente Ottone, et Archidiacono R. E. Cardinali ab Adalberti fratre Radzino, diademate regio ornatus eſſe Boleslaus [86], atque iterum ab Ottone, praeſente Legato Papae profectum eſſe hoc decus dici poſſit [87], equidem haud capio. Niſi forte, ridiculum dictu, dum ab Ottone

81 Series epiſcopor. Plocenſ. p. 322. 323.
82 l. c. p. 1050.
83 Hiſt. eccl. Slauon. prouinc. l. 1. c. 2. p. 11.

ne coronam accepit Dux, manus illi hereditaria labe vſque adeo contaminatas tribuerit LVBIENIVS, vt perpetuitatem tanto muneri impertiri haud potuerint?

VIII.

ASSERENDAE BOLESLAO CORONAE, A TESTIVM MVLTITVDINE PETITVM ARGVMENTVM, GENERATIM EXPENSVM.

ERGONE igitur, dixerit aliquis, inconſultum eſt, vt quod maxime, *publica gentis Polonicae voce teſtatam* negare *rem*, *ac temerare antiqua*, *dudum mortalibus credita?* Siccine vero actum de fide hiſtorica omni eſt, ſi, de quo vna propemodum omnes mente et voce conſentiunt, adducere illud in dubitationem, deinde negare prorſus; denique, ne ingenii oſtentandi occaſionem omittas, conuellere auctoritatem teſtium, quos vel ſola venerabiles antiquitas faciat, ac labefactare liceat; quid dicam, liceat? laudi ducatur? Habent haec ſpeciem omnino quandam, haud diffiteor; ſed eam, qua orator animos audientium commode occupet. Ad dimouendos, qui adhibito iudicandi acumine, in quo verſamur, argumentum expenderunt, a contraria ſententia, vt vim quandam habeant, magnopere vereor. Quid enim? Vt hinc exordiar, ſi in rebus,

84 l. c. p. 311.
85 p. 322.
86 p. 315.
87 p. 323. et p. 317.

bus, a vulgi intelligentia remotis, quarum reconditi ſenſus, difficilesque explicatus ſunt, quae per acrem mentis intentionem, ſi, vti ſunt, contueri velis, expoſcunt, moris et conſuetudinis magnae ſunt partes; tantoue quid verius exiſtimatur, quanto ſic dixerint plures, ſenſerintque prius: Ecquid in iis futurum eſſe cauſſis putes, quarum momentum fide, fides auctoritate, auctoritas numero nitatur; numeri antiquitas, antiquitatis reuerentia comes ſit? vbi gloria, vt creditur, gentis intercedat, cuius magnitudinem ſaeculorum decurſu metiatur? Quantus igitur cunque hiſtoricorum, Boleslaum primum Poloniae regem perhibentium, numerus fuerit, parum inde huic ſententiae roboris accedere, patebit conſideranti, quam commode alter alterius mentem, immo verba ſubinde expreſſerit, quantaque id fecerit confidentia, haud certe minori, atque ea, qua vel rem, certe cognitam, vel a probatae, vt fertur, ſed a nobis forte non exploratae, fidei ſcriptoribus teſtibusque traditam, prodere in vulgus ſolemus. Quae cum ita ſe res habeat, actum potius fere de fide dixerim hiſtorica, ſolo ſi numero cenſeatur: Quum ſententiae perſpicue falſae, ſi non plures identidem, certe non pauciores, quam liquido verae, propugnatores nanciſcantur.

VIIII.

88 in SOMMERSBERGII S. R. Sileſ. T. I. p. 18.

89 Annal. l. 2. c. 4. p. 894.

90 p. 36. 65. ed. Lipſ.

VIIII.

MARTINI GALLI, KADLVBKONIS, BOGVPHALI, ANTIQVITAS, MINOR, QVAM PRO INSTITVTO. PVBLICA GENTIS VOX, QVAM VIM HABEAT. PARVM TVTA VETERVM HORVM, ALIORVMQVE TESTIVM FIDES.

NEQVE vero quaesitum in antiquitate testium tanti nobis videtur, ac rei dignitas postulat, praesidium. Ecquinam enim sunt hi, quibus tam magnifice se iactant? MARTINVS GALLVS, VINCENTIVS KADLVBKO, BOGVPHALVS POZNANIENSIS. Quos equidem antiquissimos Polonorum historicos esse, facile largior; quorum tamen aetas, quibus Otto pariter atque Boleslaus vixit, temporibus multo posterior est. GALLVS nempe MARTINVS is sine dubio est, ad quem AVCTOR CRONICE PRINCIPVM POLONIE [88] prouocat, brachium Adalberti, Ottoni a Boleslao dono datum, Romae in templo D. Bartholomaei repositum esse, narrans: Quem *cum Kadlubkone fere synchronum regi Criuoustio* facit SARNICIVS [89]; quem DLVGOSSVS *Martinum Gallicum* [90], FELIX HERBVLTVS *Gallum anonymum* compellat [91], et cum STAROVOLSCIO [92] KADLVBKONE antiquiorem facit: Quem adeo, de S. caede

91 praef. ad editionem KADLVBKONIS Dobromil. 1612.
92 elog. script. Pol. n. 14. p. 31.

caede Stanislai, qua ſe Boleslaus II. polluerat, perinde ac KADLVBKONEM, ne verbo quidem meminiſſe, miratur SARNICIVS 93: Cuius denique diutius adhuc, quam factum eſt, Chronico careremus, niſi IABLONOWSKII Principis ſuaſu, ſumtibus STANISLAI GRABOWSKII, Warmienſis Epiſcopi, ex manuſcripto bibliothecae Heidelbergenſis codice, Gedani 1749 in vulgus editum eſſet. Fuit is moderandae Boleslai Criuouſti iuuentuti praefectus, opusque ſuum ad annum vſque MCVIIII produxit; vnus adeo, cuius aetas Boleslao Chrobrio reliquis paullo propior ſit, ſaeculo licet integro ab eodem remotus.

MEDIVM qui tenet locum, VINCENTII KADLVBKONIS, Cracouienſis olim Epiſcopi, Ciſtercienſium, poſtquam iſto ſe munere abdicarat ſponte, alumni, *inclytis aucta eſt memoria annalibus atque ornata: Quod nempe ii litterarii* VINCENTII *foetus primi omnium ſunt, qui glorioſae Polonorum gentis hiſtoriam integram exhibeant, quae alioquin apud alios ſcriptores per fruſta diuiſa ſparſim legitur;* vt AVGVSTINI SARTORII verbis vtar 94. Et huius quidem conſcribendae munus hiſtoriae, a Caſimiro ei fuſto impoſitum, ſic eſt exſecutus, vt ad initia regni Vladislai Laſconogi, anno MCCIII principatum obtinentis, peruenerit commentando; anno MCCXXIII vita functus. Quae res facit, et huic minus vt tribuam, quam vellem; quoad nempe eius, quod ipſa mihi ratio inſeuit, ſciti

93 l. 6. c. 9. p. 1056.

94 Ciſterc. bis tert. tit. 20. p. 527.

ſciti vim experior, pares qui non ſunt ei, qua res contigit, aetati, ſaltem ſuppares, hiſce qui ſunt, anteferri non oportere.

IAM de BOGVPHALO, POZNANIENSI Epiſcopo, chronici Polonici auctore, quid iudicandum ſit, vel obiter legenti apparet, poſtquam SOMMERSBERGIVS illud rerum ſcriptoribus Sileſiacarum inſeruit. Quum enim ipſe, quid a religioſo quodam audiuiſſe ſomnians ſibi viſus ſit, ad annum MCCXLVIIII memoriae prodiderit [95]; vitam autem cum morte commutaſſe eundem anno MCCLIII ſcriptum reliquerit DLVGOSSVS [96], XXX BOGVPHALVM annis KADLVBKONI ſuperuixiſſe, non minus, ac vtrumque ad ſaeculum demum XIII. referendum eſſe, in liquido verſatur.

ET VERO HI, quos nominauimus, Triumuiri, antiquitatem ſi ſpectes, principatum inter rerum ſcriptores Polonicarum tenent. Equidem haec mecum reputans, mirari ſatis non poſſum, atque etiam ſtomachari, quoſdam noſtro hoc tempore, peracris iudicii, elegantiaeue qui cenſeantur, laude dignos, eius hic tam videri negligentes, ac ſi nulla prorſus, vel hic ſaltem ei non eſſet locus. Nam ſi, vt ad propoſitum veniamus, leue quid eſſet, quod quaeritur, et nugatorium, cuius modi olim perſcripta multa ſunt, conquiri vero hodie videas operoſius, et diſcuti, quam fas eſt, plura; aut ſi hoc, in quo elabora-

95 T. 2. S. R. Sileſ. p. 64. 96 p. 732.

boramus, argumentum, nullius vnquam mortalium dubitationi expoſitum, atque tale eſſet, ad quod, ſicuti ab illis fit, tradendum mirabiliter omnium ex aliis quoque gentibus hiſtoricorum conſenſus conſpiraret: Si igitur tali eſſet modo cauſſa comparata; perparum noſtra referret illic, nihili rem, ſaeculo demum vno itemque altero poſt, relatam nos legere: Hic vero, quod hac quidem parte deeſſet, reſarciretur ex altera, ſuaque rei abunde veritas conſtaret. Nunc alia ſunt omnia. Grauis eſt quaeſtio, vti, quae ad gentium ſplendorem principumque pertinent, vel exorientem primum, vel nouis veluti radiis adauctum, ſunt omnes. Digna propterea, in qua eorum, quae circumſtant, vel minimum, accuratius pernoſcatur, tantum abeſt, vt poſthabita teſtium auctoritate, ducentis et amplius annis rei aeuo geſtae iuniores, aequam ac illorum temporum modo eſſent, fidem mereri, neque, dum illi deficiant, horum decedere fidei permultum, exiſtimare oporteat. Cui cum et hoc accedat, aequales Boleslai temporibus alios rei omnis ne verbo quidem meminiſſe; poſteriores, tanquam de coronando eo nemini vnquam in mentem quid venerit, ſe gerere, qui in tribus illis, quam par eſt, recentioribus, tantum collocant fiduciae, quomodo cum offenſa hiſtoriae arte, ſecumque adeo, in gratiam redeant, ipſi viderint. Mihi certe vitio verſum haud iri, quod ab illorum rationibus meas quam longiſſime ſeiungam confido.

QVOD

QVOD DE publica gentis Polonicae voce iactabatur ſupra, ſi apud eruditos valere quicquam debet, non plurimorum, idem ſentientium, ſed hiſtoricorum numero contineri, neceſſe eſt. Quam autem ob rem ſolus perexiguum ad aſſentiendum afferat numerus momentum, non modo antea prae me tuli ingenue; ſed magis etiam patebit, vbi ad non plane nullos animum attentius adverterimus. KADLVBKO, BOGVPHALVS, IOANNES SOMMERSBERGIANVS, CROMERVS, Ruſſum vocant Ottonem III. ſecundo hoc dari agnomen, conſtat inter omnes. In conſtituendis itineris Ottoniani cauſſis quam fluctuans ſit ſententia, §. V. patefacit. Neque potuimus facere, quin de coniuge Ottonis, ac Stephaniae veneno quae interſerebantur, in fabulis reponeremus. Vt de anno in quem decus hoc, multum inter ſe diuerſi conferunt, nihil adiiciam, quando vel aliud agendo legenti in oculos incurrit. Quae non eo nunc dico, quo nulla mihi fide dignos eſſe, cuiquam perſuadeam, quod a mea prorſus mente alienum. Quo minus tamen in ſuſpicionem aliquam bonos illos adducant ſcriptores, vix impedire video. Idem vero in confeſſo eſſe credo, non omni ex parte fidem eſſe tutam, affirmantis quid de re vel homine, vbi, quae rem hominemue attingunt, proponens, falſis ſe duci opinionibus, demonſtrat.

X.

DITMARVS MERSEBVRGENSIS MALE EXPLICATVS. FORMVLAE: TRIBVTARIVM FACERE DOMINVM, QVAENAM VIS? CL. CRISENIVS ET ALANDVS AVDITI. DITMARO VERA SENTENTIA RESTITVTA.

NON ſatis habent antiquiſſimorum inter Polonos hiſtoricorum ſuffragiis regiam communiri dignitatem Boleslai, tanti vindices ornamenti. DITMARVM etiam anteſtantur MERSEBVRGENSEM; vt pote qui *linguis* licet *animiſque infeſtus* Boleslao; tamen *poterat factum egregium ne ſic quidem inuoluere atque obruere ſilentio, quin ſparſis per nebulas, per ſermonis ambages, luminibus ſeſe conſpiciendum aperiat.* In hanc enim ſententiam locum DITMARI: *Dominus indulgeat Imperatori, quod* TRIBVTARIVM *faciens* DOMINVM, *ad hoc vnquam* ELEVAVIT, *vt oblita ſui genitoris regula, ſemper ſibi praepoſitis auderet in ſubiectione paullatim detrahere* [97], cum aliis [98], eleganti, coronae Boleslai aſſertor ingenio, intelligit CRISENIVS [99]. Et hic quidem primo ſingularis merito videatur conuerſa illa diſputandi ratio: Ex loco quippe, nebulis inuoluto, rei obſcurae lumen infertur. Deinde vero, vt vſui ſit locus, idem illud, quod ſpargere debeat lumen, quoue rem

97 l. 5. p. 57. ed. REIN.
98 v. c. Cl. ALANDO de habitu Imperii erga Pol. p. 12.
99 l. c. p. 17.

rem colluſtret, caligine immerſam, operoſe prius importatur. Quo modo, cum anteceptae manifeſto inſeruiatur opinioni, videndum erat, ne quid recte interpretandi doctrina detrimenti capiat. Meretur res paullo propius conſiderari, ne forte admoti luminis ſpecie ipſa obſcurior reddatur. Vertitur nempe cardo in eo, vt, quaenam verbis, *tributarium facere dominum*, ſubiecta ſit ſententia, perſpicuum fiat. Nihil vero, diſſentientes inquiunt, expeditius eſt: *Regem facere* ſonant. At hic aut totus fallor, aut ſuo ſe laqueo conſtringunt. Siue enim hic verborum ſenſus eſt, nihil, quae locum premat, caliginis, deprehendo. Siue eam per ſe vim non habent, vt habeant, ab interprete demum efficitur. Neque ad aſſenſum cogit, quod de DITMARO, VITECHINDO, aliis huius aetatis, monet ALANDVS: Quibus *Dominus*, vel *rerum dominus*, *rex* ſit *ſubinde* [100]. Demus hoc perliberaliter. Condoceamur autem, rogamus, cum *ſubinde* ſit, quam ob rem hoc loco, vox, tanquam vrgente quadam neceſſitate, ſic ſit accipienda. Multo minus alius DITMARI locus, rem, pro eo, ac volunt, conficit, cum in Boleslai REGNO multas eſſe conſuetudines, dicit MERSEBVRGENSIS. Quis enim noſtrum regni nomen prouinciae etiam tribui hoc tempore, facile neſciat? Quam in rem commode ſuccurrit *leg. Baiuar. Tit. II. Cap. X. §. 1. vbi: Si quis filius Ducis* REGNVM *auferat a patre*, legitur: De-

100 l. c. p. 12.

Decretum vero Taſſilonis anno XXII. *regni* Ducis promulgatum eſſe fertur. Nec aliter, VITECHINDO auctore Arnolphus, Bauariae Dux, cum omni *regno* ſuo ſe tradidit. Et quid multa? Ecquid nam, rogo, prohibuiſſet DITMARVM, quo minus *Ducem faciens Dominum* ſcripſiſſet; *Dominus* ſibi ipſi *rex* eſſet? Iam tributarium Domino opponit; ſiue, quod idem eſt, tributo immuni. Quae profecto interpretatio naturalis eſt, vt quae maxime. Quandoquidem nihil ſimplicius eſt, quam tributario non tributarium obiicere. Tum vero quae ſuperius docuimus, leui hiſtoricorum perluſtratione haud difficulter confirmanda, planum faciunt, tributi nexu exſolutum eſſe ab Ottone Boleslaum. Denique tributarium conſtituere ac compellare regem, non tam eximium fuiſſet, cum et reges ſiſtant hiſtoriarum monumenta tributarios, quam onere hoc iſtum liberare: Poſtremo is demum vere Dominus nominari queat, hac etiam ratione nemini obnoxius. Quam autem *eleuatio* haec ad conciliandum Imperatori Ducem parum fecerit, atque is e contrario grauem ſe ei, quauis occaſione oblata oſtenderit, *vt in ſubiectione paullatim ei detraxiſſe*, non praeter rem, dicatur, neminem, hiſtoriarum cognitione non deſtitutum putauerim ignorare.

XI. ALIVS,

XI.

ALIVS, OBSCVRIOR, HVC SI TRAHATVR, DITMARI LOCVS LVCI SVAE, AT HYPOTHESI INSERVIENTIVM CVLPA, EADEM PRIVATVS, HINC RERVM CONNEXARVM, HINC CONIECTVRAE SVBSIDIO, REDDITVS. ANTIQVA ROMANORVM CONSVETVDO, AB OTTONE RENOVATA, IN QVONAM CONSISTAT?

NOVVM ſuppeditat inſignis regii, ab Imperatore accepti, propugnatoribus, argumentum alius DITMARI locus, priori, at nulla eius culpa, longe obſcurior: Adeo ne verbum quidem eius, pro quo annituntur, continet. *Imperator*, inquit, *antiquam Romanorum conſuetudinem, iam ex parte magna deletam, ſuis cupiens renouare temporibus, multa faciebat, quae diuerſi diuerſe accipiebant*[101]. Intelligit eum non aliter, eodemque trahit CL. CRISENIVS. LVDEWIGIO *memorabilis hic locus conſideratione digniſſimus videtur*[102]. *Quid ni enim eo*, pergit, *et hanc regiam ipſius declarationem referamus, ad veteris Romanae reipublicae maieſtatem ſuo tempore in Boleslao renouandam?* Profecto ſi hoc eſt videre, annon plures caecutire malint, neſcio. Ego ſaltem, ſicuti de cauſſa, quam diſputamus, nihil hic, et ſi quid nihilo eſſet minus, conſpicio; ita, parum abfuit, quin oculis diffiderem, coronam his verbis Poloni-cam

101 p. 44. 102 De iure reges appellandi C. 2. §. 7.

cam oſtentari, legens: Adeo nihil ad rem. Cuius enim, quaeſo, locus iſte eſt? Annon DITMARI? Cui, de glorioſo coronandi Boleslai facinore, in primisque magnifico, ſilenti, grauiter propterea ſuccenſent? Et vero hunc aenigmata, numero Platonis obſcuriora, loqui credas; qui odio plenus, inuidia ac ira, ſic depingitur, rem apertam ſilentio contexerit? Hunc ordinis tibi fingas tam negligentem, vt, poſtea quam Ottonem Magdeburgum reduxit, de rebus, ibi, Quedlinburgi, Aquisgrani, peractis, nonnulla locutus, inexcuſabili ſaltu illuc, vnde digreſſus erat pridem, ſe iterum proripiat, de Polonicis ſolemnibus, neſcio quid, muſſitans?

NON patitur locus *tam memorabilis*, vt ſtatim eum dimittam. Fac igitur, DITMARVM, antiquam Romanorum conſuetudinem in memoriam reuocantem, regum ſubinnuere appellationem; quo tandem modo eam *ex parte magna deletam* dicit? Rei admodum ſimplicis et vnius, quaenam ſunt partes? Quaenam ſuperſtites ſunt, deletis forte pauciores? Ergone, qua, Burgundiae diademate redimitus a Carolo eſt Caluo Boſo, nec dum vno, vniuſque dimidia parte, ſaeculo illam antecedens, aetas tam remota eſt,

103 *Nullus*, inquit DITMARVS p. 43. *Imperator maiori vnquam gloria a Roma egreditur; neque revertitur.* Hanc nempe in ſententiam locum hunc a multis in medium proferri animaduerto.

104 Hos nimirum ex coenobii Farfenſis archiuo in lucem produxit MABILLONIVS Annal. Benedict. T. 4. l. 51. n. 95. p. 129. 130.

105 Sic exempli cauſſa Ioannes, Abbas Caſinenſis *recepit praeceptum confirmationis totius abbatiae, aureo ſigillo bullatum.* LEO OSTIENS. Chron. Caſin. l. 2. c. 22. p. 232.

eſt, vt reges appellandi deleta dicenda conſuetudo ſit? An forte quouis id ſaeculo, vel L vel X annorum decurſu iterandum eſſe, lege quadam conſtringitur Imperator, ſemperque id agendi occaſio, quaſi ex compacto, naſcitur? Eſto vero, renouaſſe hanc in Boleslao conſuetudinem Ottonem; quomodo vnum hoc *multa* dici poteſt, quae fecit, *diuerſe a diuerſis accepta?* In illis et hoc fuiſſe, vnde cogitur? Mente ſcabrum, vti verbis aliquando eſt, ſic ſentientem oporteret fuiſſe DITMARVM.

NON multum autem in rebus Ottonis verſati ſimus, ſi, quamnam Romanorum conſuetudinem renouare voluerit, non protinus ſuccurrat. Erat pompae, paratus, obſequii ſtudioſiſſimus Imperator. Eximia cum magnificentia Romam ingreditur; inde reuertitur [103]. Nouis comitatum palatiumue dignitatibus decorat. Imperialis militiae Magiſtrum, Praefectum naualem, veſtararium ſacri palatii, eiusdem Magiſtrum conſtituit [104]; aureo ſanctiores tabulas ſigillo communit [105]. Dubium quoque nullum eſt, feſtorum ſollemnia non alio, ac primum Quedlinburgenſe, ſplendido magnorum Ducum miniſterio celebrata eſſe [106]. Antiquam Romanae maieſtatis ſpeciem vel

E 2 pran-

106 *Celebrata proxima paſchalis ſolemnitas in Quidilinburg a rege; vbi quatuor miniſtrabant Duces. Henricus ad menſam, Conradus ad cameram, Hezil ad cellariam. Bernhardus equis praefuit.* DITM. p. 36. Video hunc a plurimis eo allegari locum, vt pompae ſplendorisque amor, cui indulſerit Otto, inde documento comprobetur illuſtri. Neſcio, quam commode. Nam paſcha hoc celebratum a. 985. Quedlinburgi, quo Otto quintum aetatis annum ſuperarat.

prandendo reddit. *Solus*, veteris exemplum Romanae mensalis pompae, nunc reuocatae, proditurus, DITMARVS, inquit, *ad mensam quasi semicirculum factam*, *loco ceteris eminentiori sedebat*[107]. Quin et, si coniecturae locus est, ideo forte Caroli M. sepulchrum aperiri iubet, vt, quo olim, tanto principe digno, vestium, reliquoue ornatu exuuiae sint conditae, ipse hunc oculis vsurpet[108]. Quod ipsum sic acceptum a nonnullis fertur, vt mortem adeo ambitiosa hac, leuissimique fastus plena curiositate accelerasse sibi Ottonem, crediderint[109]. Ad haec oculos intendisse PRAESVLEM MERSEBVRGENSEM, prope fidem est. Polonicam respexisse coronam, tum demum probabile foret, si alio, luculento satis testimonio esset corroborata, DITMARVSque eius clare mentionem inferret. Tunc enim Romanae, recenter introductae consuetudinis documentum esse eam, non refragarer. Ex consuetudine, DITMARO memorata, consequi eandem videor mihi negandi sat graues caussas habere. Dialecticorum more disputaturus: Si Otto Boleslaum coronauit, ex antiqua Romanorum consuetudine egisse eum, concluderem. Restitutam Romanorum consuetudinem coro-

107 p. 44. Ceterum haec commentantem non poenitebit legisse VORBVRGIVM hist. Ottonum p. 154. b. 155. a.

108 Factum narrat DITMARVS p. 44. et pro sua modestia, dubitationem, Caroli ossa vbi requiescerent, in caussa fuisse tradit. ADEMARVS in chronico apud LABBEVM l. c. per somnium monitum esse scribit. Admirationis caussa factum, dicit CHRONOGRAPHVS SAXO ad h. a.

109 Carolum enim per somnium apparuisse ferunt Ottoni, mortemque mox subsecuturam ei praenuntiasse. Audiamus CHRONOGRAPHVM: *Sed*

coronatione, alias necdum probata, contineri, vel illa hanc includi, non cogerem.

XII.

EPITAPHIVM BOLESLAI. EIVS AETAS, FIDES. CRISENII ARGVMENTVM.

VT autem de regiae in Polonia dignitatis originibus, ab Ottone III. repetendis, nullus dubitandi amplius relinquatur locus, neue earum memoria perituris tantum historicorum chartis ſeruata videatur, lapis eas loquitur: Tabula nempe monimenti ſepulchralis Boleslai, quod cathedrale apud Poſnanienſes templum ornat. Primus edidit illud LVBIENIVS epitaphium; idemque vetuſtiſſimis litteris, et iam antiquitate arroſis, ſcriptum teſtatur, vetuſtatem ſatis redolentibus; verſibusque, incomtis illis quidem, nec ſatis ſuis numeris conſtantibus, vt rude illud ſaeculum quiuis agnoſcat, comprehenſum. Vel propterea nobis haud indignum, quod hic legatur, viſum.

 HIC

Sed de hoc, inquit, *vt poſtea claruit, vltionem aeterni vindicis incurrit. Nam praedictus ei Imperator poſt tantae commiſſionis facinus comparuit, et ei praedixit, obitum ſuum celerius affuturum.* Ceterum huc etiam perquiſitione ad quendam pompae apparatum reſpexiſſe Ottonem, coniectantem confirmat elegans GEORGII FABRICII obſeruatio: *Nullum tum temporis monumentorum luxum fuiſſe, cum ea ſibi homines erigerent moribus et virtute, non ſaxo aut marmore.* Orig. Sax. p. 234. Aliud aliorum iudicium fuiſſe, VORBVRGIVS auctor eſt. l. c. p. 148. a.

HIC IACET IN TVMBA, PRINCEPS GLORIOSA COLVMBA
CHOBRI TV ES DICTVS SIS IN AEVVM BENEDICTVS
FONTE SACRO LOTVS SERVVS DOMINI PVTA TOTVS
PRAECIDENS COMAM SEPTENNII TEMPORE ROMAM
TV POSSEDISTI VELVT ATHLETA CHRISTI
REGNVM SLAVORVM GOTTHORVM SEV POLONORVM
CAESAR PRAECELLENS A TE DVCALIA PELLENS
PLVRIMA DONA SIBI QVAE PLACVERE TIBI
HVIC DETVLISTI QVIA DIVITIAS HABVISTI
INCLYTE DVX TIBI LAVS SERENISSIME BOLESLAE
PERFIDO PARENTE NATVS SED CREDVLA MATRE
VICISTI TERRAS BELLVM FACIENS QVOQVE GERRAS
OB FAMAM BONAM TIBI CONTVLIT OTTO CORONAM
PROPTER LVCTAMEN SIT TIBI SALVS. AMEN [110].

TAN-

110 Ser. episc. Ploc. p. 315.

TANTVM his verſibus ſtatuit LVBIENIVS pretium, vt, ſi hos vidiſſet BARONIVS, non dubitet, quin antiquitatem ipſam miratus, ei, pro qua contendit, communior eſt, ſententiae acceſſiſſet. Extollat eius antiquitatem LVBIENIVS, quantum placeat. Poſtea quam Boleslaus humatus eſt, proximo, poſitum eſſe, vt credam, a me impetrare nequeo. Fuit, quae hic translucet, elegantia, poſteris temporibus diu propria; neque ſingulare quid habet, quo hiſce tantum vindicetur. Quoad ergo ſerius inſcriptum non eſſe lapidem, haud demonſtratur, nihil ſubeſſe cauſſae apparet, quare ad aeuum, Boleslao proximum, referatur. Habent certe, quod agant, PAGIVM erroris conuicturi, tanquam principium chronologicum conſtituentem illud: Pleraque epitaphia, quae putantur antiqua, pluribus ſaeculis a morte eorum, in quorum gratiam condita, fuiſſe compoſita, et ſepulchris inſcripta [111]. Ad noſtrum quod attinet DLVGOSSI, MICHOVIAE, CROMERI aetate necdum viſum eſſe oportuit, quando nullam omnes hi eius mentionem iniiciunt. DLVGOSSVS quidem carmen aliquod vetuſtum in laudem Boleslai extare, ſuoque ſe operi interſeruiſſe dicit [112]. Quem ad modum vero et hoc, ab epitaphio valde diuerſum, fruſtra requiras, ſic vel ex vno hoc, a neglectu epitaphii repetito argumento, ne alia afferam, concludas, quid ſentiendum ſit de SAM. IOACH. HOPPIO, LONGINVM Plocenſium epiſcoporum vitas,

111 Crit. Baron. T. 4. p. 87. a. 112 p. 178.

tas, in operibus poſthumis LVBIENSKII legendas, litteris conſignaſſe, opinante [113].

SED vt ex hoc in viam redeamus diuerticulo, ecquaenam in hoc ſita epitaphio vis eſt? Ante omnia non alienum videtur animaduertere, non conſentire inter ſe de eodem hiſtoricos. SARNICIVS enim *ſepulchro Boleslai epitaphium inſcriptum eſſe*, inquit, *paruum quidem, ſed ob reuerentiam antiquitatis valde iucundum:* HAC IACET IN TVMBA REX PIVS, GLORIOSA COLVMBA, BOLESLAVS CHOBRI; *litteras*, addens, *eſſe vetuſtate paene conſumtas*, *ſicut et ipſum ſepulchrum; vtcunque tamen poſſe legi* [113*]. Plures inſcriptos fuiſſe lapidi verſus, at antiquitate exeſos, non refert. Cuinam ſit habenda fides, meum non eſt, decernere. Eſto tamen, genuinum eſſe LVBIENIANVM: Epitaphium eſt. Cuius generis ſcripta, his et ſubſequentibus compoſita temporibus, laudis, adulationis, communis, ſi placet, famae, multum; veri non tantundem continent. Quod adeo, coronatum ab Ottone Boleslaum, perinde fidem non facit, ac extra fidem eſt, principem columbam fuiſſe. Cuius auctor pereximium nectendarum rationum artificii ſpecimen edidit, dona detuliſſe plurima Ottoni, canens, Boleslaum quia diuitias

113 p. 7. opuſculi, LONGINO Lipſienſi praemiſſi.

113* Annal. p. 1050. ed. Lipſ.

113** Neque tamen acu rem tetigiſſe credimus Cl. IO. DAN. TITIVM, *im Hamburgiſchen Magazin* Vol. 14. p. 575. hanc comae praeciſionem ideo in incertum reuocantem, quod nullibi legatur, *Boleslaus habe ſich den Kopf beſcheren laſſen.* Ritum enim tondendi capitis ad Caſimirum I. e Clu-

vitias habuit. Hic etiam ſolus principi ſeptenni praeciſam, a Micislao ſine dubio, nam ab ipſo factum Boleslao, perridiculum foret comam, eſſe Romam miſſam, narrat. Quo loco nouum, quid valeat exemplum prodit. Pone enim, verum eſſe, atque alicuius momenti. Iam ſcire velim, quare hiſtoricorum nemo veterum, immo ne LONGINVS quidem, multus alias in concelebranda Miſeconis pietate, de eo memoriae quid reliquerit [113 **]. Sit, amplius vera quidem res, ſed, vt leuior, omiſſa, tu mecum mirare iudicium auctoris, egregium, ſcilicet, inter leuia, conſueta et commemorabilia in tam exiguo ſcripto delectum adhibentis. Si denique prorſus falſa, quid faciendum ſit homini, mihi videas, XIIII verſibus tam ſe turpiter danti, vt, quod veri ſcripſerit, in ſuſpicionem ipſe deducat.

QVVM ergo et lapis, tanti apud eos, qui aliter, ac nos, ſentiunt, ponderis, nihil nobis extorſerit, nihildum proficit CL. CRISENIVS, *Quo tandem illa*, exclamans, *alio Boleslai inſignia munera? Ille per prouincias ſplendidiſſimus redeuntis Caeſaris conductus? Niſi vt dignum ſe auguſtali beneficio, diademate regio, oſtentaret* [114]. Sume nimirum, verum eſſe, quod hiſtoricorum non paucos ſupra con-

e Cluniaco reducem, referendum eſſe. Alio nempe longe haec verba valere, clarius eſt, quam vt oſtendere opus ſit. Ceterum hunc V. Cl. de origine regiae in Polonia dignitatis obſeruationem, poſt quam noſtra conſcripſeramus multo, videre nobis contigit. Stricturas autem auctorum *des erläuterten Preuſſens* Vol. 2. p. 202. in hoc epitaphium ne nunc quidem legere nos potuiſſe, dolemus.

114 p. 17. 18.

confirmaſſe, legimus, illuſtrem illam, qua Boleslai animi dotes, copiarum numerus ac praeſtantia, aulae praeter ea ſplendor, efferebantur, famam, vt tot bonis cumulatum propius contemplaretur principem, extimulaſſe Ottonem; hunc quidem, tanquam vnum excipere e multis, nec exquiſitiſſimo, atque ad poſteritatis recordationem inſigni cultu proſequi, nonne ab eius non minus ac Boleslai perſona prorſus alienum fuiſſet? Denique, vt breviter et abſolute exponam, eodem argumentum hoc numero locoue habendum arbitror, ac illud, cuius efficientiam ſub finem ſectionis ſuperioris excuſſi. Si nempe Otto regio honore tam ſollemniter condecorauit Principem Poloniae, facile eſt ad credendum, et muneribus magnificum fuiſſe illum, liberalitatis gloria celebratiſſimum, et reduxiſſe Caeſarem, comitatu, qui deceret vtrumque, ſtipatum. At enim vero ex vtroque reuerentiae erga Imperatorem, genere, coronationem elicere velle, id vero cum recte cogitandi regulis minime conciliari poſſe, ſentio.

XIII.

CVRAEVS A LVDEWIGIO IN TRANSCVRSV DEFENSVS.

ITA vero in eam adhuc curam incubuimus, vt, quibus origines regii in Polonia honoris Ottonianas fulciant ratio-

115 de iure reges appellandi c. 2. §. 7.

116 *Vom Kaiſer Ottone dem dritten hat er den königlichen Titel erlanget.*

rationes, accuratius perluſtrantes, quid in iis deſideremus, pro noſtro candore declaremus ingenue. Sequitur, vt maxime idoneas, atque conuellendis illis apprime comparatas ſtudioſe conquirentes, ex difficultatibus easdem, ſi quae ſunt, expediamus. Idoneas vero dum circumſpicio, longe aliter nexas inter ſe iunctasque poſcens, haud ab re mihi facere videor, atque illas, quibus commoti, falſam alicui ſententiam tribuunt, cuius ei in mentem nihil venerit; vt ſuae, pro qua contendunt, firmamentum conſtituant. Miratus profecto ſum, tam iniquum ſe praebuiſſe Ill. LVDEWIGIVM, IOACHIMO CVRAEO; hunc vt, de ſua, vicinarumque gentium hiſtoria non male promeritum, *tanquam rem ab Ottone actam omnem, in dubium vocantem inducat, conantemque tantum non prorſus euertere, eo, quod de itinere Ottonis dubitet:* Idque rerum temporumque ratione habita, recte ſe facere opinetur [115]. At enim vero quid CVRAEVS? Coronam manibus Ottonis Boleslao impoſitam minime negat [116]; neque adeo de Ottonis in Sarmatiam itinere poteſt dubitare. Quid igitur? In cauſſis tantum itineris haeret, de quibus Ottonem in viam ſe dediſſe, hiſtorici Poloniae ſcribant: Neque votum, S. ſepulchrum Adalberti viſendi interceſſiſſe, ſibi perſuadere poteſt. *Praeter ea*, vt LVDEWIGII verbis vtar, *Polonicae genti non tantum eſſe apparatum, auri inprimis et argenti copiam potuiſſe, qualis in*

F 2 *regali*

langet. Der Kaiſer hat dieſem Boleslao die Krone ſelbſt aufgeſetzet.

Chron. rer. Sileſ. et vicin. gentium. p. 32.

regali ista inauguratione describatur. Quamuis ergo fefellisse in vtroque CVRAEVM rationem, facili opera declarari possit [117]; reclamante tamen vehementer ratione, de caussis, atque iis, quae rem circumstant, nescio quid dubitantem, eam negasse rem ipsam, insimulari videas.

XIIII.

DITMARVS DE CORONATIONE BOLESLAI TACENS, INSIGNIS, EAM PERACTAM NON ESSE, TESTIS. QVOD, QVALEM EFFICIENTIAM HABEAT SILENTIVM, OSTENDITVR.

AGE nunc, susceptum, vt instituimus, negotium pertendamus. Nempe ergo, quicquid asserendae Boleslao coronae laboris operaeque insumtum, quicquid hanc in rem conquisitum perscriptumque supra vidimus, id vero frustra factum, opinionumque commentis accensendum esse, vel vnus ad liquidum perducat, DITMARVS; atque idem ne argumentando quidem, sed tacendo peruincat. Cuius sane silentium tanti mihi est, vt omnibus aliter sentientium argumentis anteponam. Huic enim contigit,

117 Tantam enim hoc tempore superstitionis vim nondum fuisse, vt ad suscipienda itinera religiosa, venerandas Sanctorum reliquias, capiendosque miraculorum fructus homines permoverit, quomodo probaturus sit CVRAEVS, equidem nescio. Nouum praeter ea martyrem ignotum fuisse Ottoni, tantum abest, vt potius propinqua ei cognatione coniunctus fuerit. Mater enim Adalberti, patri Zlawnik nupta, Henrici Aucupis soror a pluribus dicitur. Vsus etiam est illo Romae, in monasterio Bonifacii et Alexii com-

tigit, quod ex aduerſa parte ſtantium, vnum ſi ADEMARVM excipias, nemini, vt par eius aetas illi, quo diademate cinctum dicunt Boleslaum, tempori, fuerit, Chronicon ſcripſit a religione ac fide, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat. Gloriae Germanorum ſtudioſiſſimus, quod ad eam quocunque modo amplificandam faciat, non facile ex oculis dimittit. Quicquid rerum ab Imperatoribus Saxonicis geſtarum eo referre poteſt, accurate proponit; eorum adeo, quae leviora poterant videri, ſedulus obſeruator. Hanc gentis dominorumque gloriam, non iis tantum, quae domi egerunt, comprehendi ratus et abſolui, multus ſubinde eſt, ſi apud exteras quid ſuſceptum perfectumque nationes; quarum origines, conuerſiones et viciſſitudines, ac memorabilia in vtraque re publica, inprimis ſi Caeſarum auſpiciis debeantur, eorumque auctoritas interuenerit, eadem grauitate ac induſtria percenſet. Quae cum ita ſint, eſſe vero, niſi qui DITMARVM vel plane non, vel obiter legit, nemini eſſe obſcurum poteſt; nimium me non tribuere fidei eius, pariter atque ingenuitati, crediderim, ſi, quae tanquam facta commemorat alicuius momenti, eſſe,

 per-

commorante, vti vitae ſcriptores Adalberti narrant, Otto familiariter; eique vt Poruſſos ad amplectenda chriſtianorum ſacra perduceret, auctor fuit ſecundum ADEMARVM, chron. p. 168. Denique, quod ad ſplendidum, quo exceptus ſit Otto, apparatum, auri quoque argentiue copiam, tum viſendam tum donatam attinet, ſi illa diſtinguas a noſtris tempora, quod fidem ſuperet plane omnem, nihil omnino video neque ex eo, quod auri argentique vſus in flando feriundoque nummo nec dum in Polonia fuerit, de eius in aula Principis copia dubitandi, argumentum commode promitur.

persuasum habeam; huius autem generis, quae vbi dicendi locus erat, tacet, non esse, animum ad credendum inducam. Neque tali modo, nisi quod historiae assentiendique legibus conueniat, statuere mihi videor.

IS IGITVR, miraculorum, ab Adalberto martyre editorum, fama excitatum, orationis caussa ad sepulchrum eius profectum, a Boleslao in finibus sic, vt fidem superet, ac enarrari pro dignitate nequeat, exceptum, Gnesenamque deductum, vrbem nudis pedibus, templumque, introducente Praesule, ingressum, sacris operatum religiosissime, conditi Archiepiscopatus auctorem, magnis muneribus decoratum, trecentis donatum loricatis, denique a Boleslao Magdeburgum reductum Ottonem esse, refert. Haec ille: De regia appellatione ac coronatione nihil. Non desiderari in chronico DITMARI nulla, quae legas alibi, haud inuitus quidem largior. Velim autem, exemplo quodam ostendi, vt, quid memoria dignum enarret, occupatum, ac earum, quae antecesserunt illud, iuxtaue fuerunt, ac consecutae, rerum, praetermittentem nihil, oblitum esse penitus rei maxime illustris, atque ad comprobandam summam Imperatoris maiestatem maximopere comparatae DITMARVM. Quoad vsque huiusmodi quid omissum ab eo, at nihilo quidem secius factum, probataue fide testibus alias editum expromatur, hoc ipsum, de quo disputo, minime factum esse, silentio DITMARI permotus, aio. Quod reliquum est, disputandi hunc modum displicere non posse. CL. CRI-

SENIO,

SENIO, certus ſum: Qui et ipſe Boleslai patrem, Miſeconem, regio a Pontifice titulo inſignitum eſſe, confirmare non audet, *quod apud antiquiſſimos hiſtoriae Polonae ſcriptores*, KADLVBKONEM *et* BOGVPHALVM, *nulla eius rei memoria* [118].

XV.

ODIO NIHIL DEDISSE MERSEBVRGENSEM, NEC VOLENTEM OCCVLTASSE, QVOD FACTVM SIT, PLANVM FIT.

QVODSI vero aliis tantum rebus intentus, neglexiſſe argueretur tam nobile argumentum DITMARVS, ſui eiusque immemor, at citra dolum ac fraudem, hiſtoriae cauſſa dolendum foret quidem, ad ipſum ſi animum advertas, leuius forte peccatum. Sed nec huius, malum, faciunt reum, qui nobis aduerſantur. *Linguis animisque infeſtum* Boleslao, ſtudio volentemque occultaſſe decus hoc Sarmatiae queruntur, Praeſulem [119]. *Odii nempe in Principem internecini apparere paſſim veſtigia* [120]. Quo fiat, vt maledica et impotenti violans lingua maximas ſupra laudes poſitum Ducem, deprimat eas vbiuis, atque haec etiam, a fortuna nihilo magis quam virtute tributa bona detrahere eidem atque eripere conetur. Non ſumus profecto ii, qui legendo DITMARO, non optime animatum erga Boleslaum eum haud deprehendamus. *Bolizlauus* inquit, vt haec modo exempli loco ſeligamus, *maior laus non*

118 p. 2. 119 CRISEN. p. 17. 120 p. 16.

non merito, ſed more antiquo interpretatur [121]. *Hic bonae matris filius longe degener, multarum pernicies genetricum, qui in eadem primo latentem malitiam aperuit, deindeque in viſcera, ſaeuit. Nouerca et fratribus expulſis, vulpina calliditate regnum, plurimis diuidendum, contraxit in vnum. Hic, vt ſolus dominaretur, ius ac omne fas poſtpoſuit* [122], *Patri longe inferior* [123]. *Non opus eſſe autumo, de Boleslao amplius diſſerere, cuius nomen et conuerſatio, ſi Dominus omnipotens vellet, ſatius nobis lateret. Omne hoc quod pater ſuus et iſte nobis in coniugio et familiaritatē magna copulati ſunt, plus damni ſubſequentis, quam boni praecedentis attulit, ac in futuro infert. Quia, etſi pace ſimulata nos ad tempus diligat, attamen per ſecretas tentationum varietates nos a caritate innata deducere, et, ſi quando tempus ei ac locus contingit, in perniciem apertam aſſurgere non deſiſtit* [124]. Ego vero, haec ſi diſquirerem, digrederer ab inſtituto, quam pateretur, longius. Neque moleſte fero, ſi quis Boleslaum meliorem vel fingat ſibi, vel collatis rerum documentis demonſtret. Poteram tamen iſti in Ducem odio DITMARI, iuſto, an iniquo, iam non diſputo, adulationem opponere, blanditias, aſſentationem, quibus vel ſolus DLVGOSSVS, de Boleslao loquens, vtitur. Legat, velim, qui de eo dubitet, rerum ab eo geſtarum hiſtoriam, a LONGINO contextam: et certe nullam laudem tam alte conſtituiſſe naturam, quo eius non dica-

121 p. 43.

122 p. 46. Quem locum breui quidem, at luculenter explicuit, DLVGOSSIque, poſteriora ſibi tempora ante

dicatur virtus enisa; nullum genus honoris eminere, quo is non ducatur afficiendus; anteferri ei neminem, paucos pares putari, mecum fateatur. Quid ergo? Hunc si, eiusque similes gratiae vel plus dare, vel tantundem, ac illa noster dare fertur odio, retorquens velut arma affirmarem? Nonne illud, ab odio promtum argumentum totum protinus concideret? Concideretque simul, tanquam blandientis ingenii, honorique Boleslai fauentis, commentum, eius coronatio? Quam sane inconsulto amore confingi, pari equidem auctoritate vincerem, ac illam illi acerbo negari odio pugnant. Non est autem, vt praetereamus, omnem illam odii culpam, dum modo paullo eam attentius consideres, depelli sine negotio posse. Qua enim mente de Boleslao exponit DITMARVS? Quid agitat? Estne in eo, vt vitam Ducis omnem, rerumque gestarum seriem, virtutes et vitia, nam et his sine nemo nascitur, describat? In his acutum cernat, caecus sit in illis, captus prae odio oculis? Nihil profecto minus. De Boleslao vix aliter, ac sicubi occasio dederit, de nominis hoste, Imperiique Germanorum, qualem si praebuisse, constat inter omnes, verba facit. Quaenam haec seges et materia laudum? At male nobiscum ageretur, si de hostibus quid scribentes, tanti, quo prosequamur eos, odii, rei fiamus, nihil vt boni credamus tributum iis esse, vel dicamus.

XVI. CVIVS

ante oculos constituentis, narrationi antetulit Bibliothecae conditor Polonicae, LENGNICHIVS, P. 2. p. 87.

123 p. 53.

124 l. 8.

XVI.

CVIVS ETIAM ODII RATIONES PROCVL HABVISSE PRAESVLEM, VEL IIS CONFITENDVM EST IPSIS, SIC SECVM PVGNANTIBVS, QVI EVM DE CORONATIONE, QVAMVIS OBSCVRE, QVID SCRIPSISSE, OPINANTVR.

TAM vero parum conſtat ratio, odii crimen DITMARO exprobrantibus, vt ſua, hoc agentes, vineta caedant. Pone enim, odio flagrare Praeſulem; nonne clarum eſt, eo certe minus ſupprimere debuiſſe praeſtantiſſimum, in non magnopere dignum habitum, collatum honorem, quo maior inde naſcebatur opportunitas atro, quod aiunt, colore deformandi Boleslaum, tanti memoriam beneficii mox deponentem adeo, vt ingratiſſimi maculam ſibi notamque inurat? Siccine vero ſui non compotem DITMARVM, vt prae odio exſerendi odii commodiſſimam e manibus temere dimiſerit occaſionem? Quod ſi igitur tum demum bene erit opera poſita, ſi ex ſententia ſucceſſerit; quam in accuſando DITMARO erga Boleslaum odii collocarunt diſſentientes, vt feliciter ſit impenſa, magnopere vereor. Oſtendimus nempe ſupra ſectione X. XII. loco eos DITMARI, ex eorum mente ſubobſcuro niti, ex quo res, ad regium Boleslai diadema pertinens omnis eliciatur. Quem quidem, licet alio longe, ac illi volunt, ſpectare docuerimus; tamen perſcribenti eum coronationis cauſſam in animo fuiſſe DITMARO, in praeſens tantiſper concedamus. Certe hic

hic mihi inter ſacrum veluti ſaxumque conſtitutum, nec quid faciat, ſcientem, videre videntur DITMARVM: Cuius hic ipſa rei veritas manum ducat ſcripturo; illic odium inhibeat; neutri ceſſurum, ſatisfacturum vtrique. Tectius igitur proponentem, quod res eſt, vt magis ad diuinandum quam legendum intelligendumue conieciſſe eam in medium, appareat. Mirabilem profecto, vel, ſi mauis, ridiculam grauiſſimo homini perſonam, ſic agendo imponunt, quam ratio naturaque eius ipſa facile detrahat. Multis nempe verborum inuolucris tegitur, et quaſi velis quibusdam obtenditur; quid vero? Aptata capiti Ducis maxima cum pompa, publicaue cerimonia ab Imperatore corona. Tantamne innatam vecordiam DITMARO, vt coram oculis atque in conſpectu tot hominum acta non negare quidem auſus, qui enim id poſſit? attamen velut aenigma, ſpargat in vulgus, iaciatque? Quod, ſi tam obſcurum eſt, ſolui vt poſſit a nemine, cui, quaeſo bono? Poterat ſine dubio multo commodius concepto facere odio ſatis tacendo prorſus. Niſi forte per ſummam iniuriam infra reliquos, rationis non expertes deprimere malis noſtrum, tanquam ſeiungentem ſe ab illis inſano ſtudio, ſcribentemque, quae nemo capiat, explicet nemo. Si autem eiusmodi eſt, vt vel tandem aliquando peruideatur, quid tam moleſta ſedulitate lucratus ſit, explicari mihi velim. Maximo recondit labore, quod vel ſic abdere, atque ab hominum intelligentia retrudere per negotii naturam potis non eſt. Et quomodo fiat, vt odio in

Boleslaum obſcuret, quae amori in Ottonem indulgens, in luce clariſſima collocare debebat? Nonne enim tantae dignitatis ſplendor, Ducis capiti lucens, ab Imperatore proficiſcitur? Ergo tantopere a ſe ipſo alienus Praeſul, demat amori Ottonis quod odio Boleslai addat? Perpetuam, quantum in ſe eſt, noctem inducat verbis, eo compoſitis, rei, quam forte poſt haud ita multo ea qui legant, diſpellant? Nam ante nos neminem tam felicem fuiſſe, haec vt ipſi iuerit in diem nox, neque egomet temere affirmauerim; neque DITMARVM, tanto ſolum tempore rem occultando illuſtrem, operae pretium ſatis feciſſe 124*.

XVII.

BOLESLAVM NON REGEM, SED DVCEM NOMINANT HERMANNVS CONTRACTVS, CHRONOGRAPHVS SAXO, MARIANVS SCOTVS, WIPPO, OTTO FRISINGENSIS, CHRONICON QVEDLINBVRGENSE, ANNALISTA SAXO, GREGORIVS VII. REL.

QVAE adhuc diſputauimus, eo valent cum primis, ac, niſi ſuſcepti nos amor negotii fallit, efficient, vti ſperamus, vt tanto quidem erga Boleslaum, quamuis amiciſſimus ei non fuerit, exacerbatum fuiſſe minime DIT-

MARVM

124* Aliud argumentum, quo DITMARVM odii abſoluat, ſuppeditat l. c. p. 572. cl. TITIVS. Is igitur, dum DITMARVS l. 4 narrat, Brunonis, Poruſſorum apoſtoli, cum ceteris ſociis caeſi, corpus aere redemtum, condi ſepelirique curaſſe Boleslaum; Brunonis nempe, quicum cognatio interceſſerit ſibi, DITMARO, magnopere dubitat, frontem adeo excidiſſe Praeſuli, vt tantum beneficium commemoratione coronationis non rependerit, ſi modo facta eſſet vnquam. Qua autem ratione idem V. CL. conditum ab Ottone

III.

MARVM odio, intelligamus, cui morem gerens, rem ſibi pulchre notam, volens premat; neque fidei, famaeque apud poſteros ſuae, neque, cui quam maxime faveat, Ottonis, rationem vllam habens. Quem locum, ſi forte quis vberius, quam mereatur, a nobis pertractatum dicat, ob attributum a quibuſdam ei momentum factum id eſſe, nouerit. Reliquum eſt, vt rem omnem, pro vt nos quidem exiſtimamus, percenſendis conficiamus iis, qui poſtero tempore, de Boleslao vbi loquendi eſt occaſio, Ducem eum tantum compellant, idemque eo partim loco faciunt, quo Poloniae Principem tanquam Regem, modo fuiſſet, ponere ante oculos, haud parum referat. HERMANNVS igitur CONTRACTVS *Henricus*, inquit, *Rex Bolizlaum*, DVCEM *Slauorum Bolanorum*, *cum tota gente ſua ſubiugauit* [125]. CHRONOGRAPHVS SAXO: *Sed et Boleslauonem*, *Poloniae* DVCEM, *occurriſſe repeperiunt* [126]. MARIANVS SCOTVS *Henricum* ait, *Regem*, *Bolislaum* DVCEM *cum omni Sclauorum gente ſubiugaſſe* [127]. Nec aliter WIPPO *Eodem anno*, inquit, *quem ſupra notauimus*, *Bolislaus Sclauigena*, DVX *Bolanorum*, *inſignia regalia*, *et regium nomen in iniuriam Regis Chuonradi ſibi aptauit; cuius temeritatem cita mors exinaniuit.*

III. Archiepiſcopatum Gneſnenſem, tum Rixae, Ottonis, e ſorore neptis, cum Micislao, Boleslai filio coniugium, denique Imperatoris in Pontificem, qua tunc temporis gauiſus ſit, poteſtatem, pro coronatione Boleslai, ab Ottone facta, connitentibus maximo vſui eſſe poſſe, ſibi perſuadere potuerit, needum capio; quandoquidem haec omnia cum eo, de quo diſputamus, honore, neceſſario connexa non ſunt.

125 Chron. in PISTORII S. R. G. T. I. p. 270. 271.

126 ad a. 1002.

127 Chron. ibib. p. 648.

niuit. Filius autem eius, Misico, similiter rebellis [128]. *Supra dictus Boleslaus*, DVX *Bolanorum, etc.* [129]. OTTO FRISINGENSIS: *In primordio regni Conradi Boleslaus, Polonorum* DVX, *qui ab antecessore suo, Henrico, nouiter subactus fuerat*, A REGNO DIVIDI, REXQVE PER SE VOCARI MOLITVR. *Non multo post moriens, Misiconem, filium suum, successorem reliquit:* IS, DVM PATREM IMITARI COGITARET, - - rex - - - DE CONTVMACE REGNI INIVRIAM VINDICATVRVS, rel. - - - *Otto vero* LIBERE DVCATV POTITVS, *diadema*, QVOD PATER EI AD IGNOMINIAM REGNI ILLICITE FECERAT *regi misit* [130]. CHRONICON QVEDLINBVRGENSE sic habet: *Bolizlaus*, DVX *Poloniae, obitu Henrici, Imperatoris Augusti, comperto, elatus animo, visceretenus superbiae veneno perfunditur, adeo, vt* VNCTAM ETIAM SIBI IMPONI CORONAM TEMERE SIT VSVRPATVS [131]. Sic etiam ANNALISTA SAXO, iisdem fere vsus verbis, *Miseconem, filium natu maiorem*, HAVD DISSIMILI SVPERBIA TVMENTEM, *virus arrogantiae longe lateque diffudisse*, addit [132]. Gregorius VII. litteras ad Boleslaum audacem scribens, Boleslaum, Polonorum DVCEM appellat, anno MLXXV. *non omissurus*, vti recte argumentatur HENELIVS, *regium titulum*,

128 de vita Conradi Sal. in PISTORII S. R. G. p 470.

129 id. p. 477.

130 Chron. l. 6. c. 28. Eadem fere habet GODEFRID. VITERB. Chron. P. 17. in PISTORII S. R. G. T. 2. p. 331.

lum, *si Rex Polonis fuisset*[133]. De eodem Boleslao perquam memorabilis LAMBERTI SCHAFNABVRGENSIS locus, dignus, qui hic legatur: *MLXXVII* DVX POLONORVM, *qui per multos iam annos Regibus Teutonicis tributarius fuerat*, *cuiusque regnum iam olim Teutonicorum virtute subactum*, *atque in prouinciam redactum fuerat*, *repente in superbiam elatus*, *propter ea*, *quod Principes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos*, *nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare*, REGIAM DIGNITATEM, REGIVMQVE NOMEN SIBI VSVRPAVIT, DIADEMA IMPOSVIT, ATQVE IPSO DIE NATALI DOMINI, A XV EPISCOPIS IN REGEM EST CONSECRATVS[134]. Lotharius OTTO FRISINGENSIS inquit, *Polonorum* DVCEM *cum multis muneribus obuiam habuit; quem tamen non ante dignatus est suo conspectui praesentari*, *quam tributum XII annorum*, *hoc est*, *D libras ad singulos annos persolueret*, *et de Pomeranis et Rugis homagium sibi faceret*, *subiectionemque perpetuam sacramento sibi confirmaret*[135]. CHRONICI BIGAVGIENSIS auctor, *Imperator*, inquit, *curiam apud Mersburg habuit* (*anno MCXXXV*), *vbi* EX PRAECEPTO DVX *Polonorum adfuit*, *qui nunquam antea ad alicuius Imperatoris curiam venire voluerat*, *nec precibus*, *nec minis*[136] - - - Hos vero

131 ad a. 1025. in LEIBNITII T. 2. p. 204. S. R. Brunswic. T. 2. p. 295.

132 ad a. 1025. ibid. p. 457.

133 Annal. Siles. in SOMMERSB.

134 in PISTORII S.R.G. T. I. p. 417.

135 l. 7. c. 19.

136 apud MADER. p. 258.

vero cunctos, eodem, quo DITMARVS, incensos odio, vel ab ipso, tanquam contagio serpente, malo infectos esse, cum nemo iactare ausit, satis habemus, quod volebamus, inde elicere, coronationem Boleslai Ottonianam fabulis accensendam esse, quo, figmentum hoc, nomine, pro suo candore iam olim insigniuit FRANC. MARINIVS, siue IOANNES SACHSIVS, Secretarius Thoruniensis [137].

XVIII.

VTRVM BOLESLAVS A PAPA CORONAM ROGARIT, PRAEEVNTE VORBVRGIO DVBITATVR.

SVNT, fateor, nonnulli, qui, dum Boleslaum, regium vt conferat sibi diadema Pontifex Romanus, operam impendisse, aiunt ab Ottone illud capessiuisse Principem, negant, adeoque nobiscum facere videntur. Ab his vero nostram vt seiungamus sententiam, non modo quae supra proposuimus, nouo robore non indigentia, efficiunt argumenta; verum et, in contrariam quae disputat partem VORBVRGIVS; tanti nobis visa, nihil vt addi vel possit iis, vel mereatur. Interim, ne quis eius temere quid omissum esse queratur, locum PETRI DAMIANI [138], pro instituto longiorem, sepositis, quae huc non faciunt, contrahamus; sic tamen, vt, quod res est dilucide appareat. Boleslaum nempe rogasse, inquit DAMIANVS, Imperatorem Henricum, vt a Romualdo monachos, qui Polo-

137 de scopo reip. Pol. p. 47. 138 Opp. T. 2. in vita S. Romualdi c. 28. 29.

Polonos vera Seruatoris doctrina impertiantur, exposcat. Obtulisse se duos, Ioannem et Benedictum, eosque septem exacto annorum spatio, quo Slauonicam linguam perdidicerint, tanto manum operi admouere voluisse; ablegasseque quendam Romam, qui facultatem exordiendi muneris a Pontifice exoret. Dedisse autem Boleslaum vtrique hoc negotii, vt Papae dona deferant, muneraque amplissima, coronamque loco eorum regiam reportent. Hoc se suscepturos negasse Monachos, tanquam a suis alienum destinatis. Suboluisse autem quid de auro nefariis hominibus; hos noctu occidisse cum Ioanne Benedictum. Quorum cum receptaculum admoto concremari non potuerit igni, miraculum namque suberat, fuga se subduxisse latrones, errabundos per totam noctem; neque, exarescentibus neruis et lacertis ad recondendum vacuos vagina pugiones, virium satis habentes. Deprehensos postridie, et catenis quidem ad trucidatorum tumulos alligatos; at singulari iis miraculo solutos. Tum Henricum, de iis, quae moliatur Boleslaus, submonitum, obstruxisse in Italiam vias; captum proinde esse, quem supra diximus, legatum; liberatum autem genii coelestis interuentu, scalmoque, quem praesto fore, nunciarat ille, flumen superasse. In hac iam narratione, qui otium hic nobis fere facit VORBVRGIVS [139], multa in numerato habet, quae desideret. Nam primo DAMIANO opponit

139 Hist. Ottonum, p. 146. 147.

nit DVBRAVIVM [140], quo auctore, Ioannem, inquit, et Benedictum, non Romualdi et Claſſenſis, ſed Adalberti et Breunauienſis diſciplinae alumnos, aurumque non ad coëmendam a Papa coronam, ſed ad tolerandas ſummas vitae neceſſitates Monachis, neque illud a Boleslao, ſed a Miſecone, eos inuiſente, datum; Barnabae, qui Duci reportaret, redditum, eumque occiſis, ſe abſente, illis, ſuperſtitem ſolum fuiſſe. Tum vero, neque hunc Romam profectum, ſed ad mortem vſque delituiſſe in ſolitudine, monet [141]. Quamuis autem, ſi Boleslaus regnante Henrico diadema rogaſſet a Pontifice, ſatis id argumenti foret, attributum illud non eſſe ab Ottone; neque adeo, quo tempore ac modo Gneſnam id attulerit legatus, a BARONIO [142], vt condoceat, recte poſtulare videatur VORBVRGIVS; tamen commenti originem coniectando aſſecutum eſſe eundem, haud aegre mihi perſuadeo. Cum enim conqueſtum apud Pontificem Boleslaum, de Henrico, quo minus ſedi debitum ſacrae tributum penderetur, prohibente, rumor eſſet [143], has de vectigale querelas alio longe acceptas, ac de corona interpellari Papam, vulgo creditum eſſe, non ab re opinatur.

XVIIII.

140 Hiſt. Boh. l. 6. p. 41. 42. ed. 1602

141 loc. cit.

142 Annal. T. 10. p. 935. 936. ed. Plantin.

143 Notabilis eſt locus DITMARI: *Ad ſupplementum huius itineris Bolizlauus, antea inuitatus, nil aſpirauit, et in bene promiſſis more ſolito mendax*

XVIIII.

HANKII, PFEFFINGERI, CL. CRISENII ARGVMENTA ET CONIECTVRAE REIICIVNTVR. VORBVRGIVS PROBATVS.

NIHIL igitur habet, quo ſe commendabilem nobis faciat, opinio HANKII, quam ob rem rerum ſcriptores Germanicarum diademate frontem cinxiſſe Ducis Ottonem ſcire ſe, ſcientes diſſimulent, cauſſam hanc fuiſſe docentis, quod Boleslaus, quoad Otto vixerit, vix adeo decem menſibus, honore ſibi impertito ſit gauiſus: Henrico autem II. ſceptrum capeſſente protinus hoſtem exſeruerit; quo factum, vt nominis dignitate exciderit promiſſorumque antea liberaliter, ſeruatum ei ſit nihil. Vnde etiam querimonias intelligi poſſe ſcriptorum de Boleslao et ſucceſſoribus, dum in plenae libertatis ſignum, proprio auſu regium ſibi nomen tribuerint [144]. Nihil, inquam, efficit HANKIVS. Sunt quidem hoſtilibus Boleslai auſis pleni horum temporum commentarii; de amiſſo autem eam ob rem titulo perſcribere nihil poterant auctores, qui de collato eodem attributoque ne verbum quidem habent; eius profecto memoriam tanto certius adhibituri, quanto maiori Ducem onerare culpa in procliui fuiſſet. Commode etiam caremus coniectura PFEFFINGERI, Ottonem

mendax apparuit. Inſuper antea Domino Papae queſtus eſt per epiſtolae portitorem, vt non liceret ſibi propter latentes regis inſidias, promiſſum principi apoſtolorum, Petro, perſoluere cenſum. l. 6. p. 82.

144 de reb. Sileſ. p. 177.

forte bello Italico diſtrictum, Slauis defectionem nouam molientibus, cum potentiſſimo Polonorum Duce foedus pepigiſſe, eumque ſub lege clientelari regem creaſſe. Quo defuncto, Slauis ſe rebellibus adiunxiſſe eundem, atque a clientela ſe Imperii liberare conatum, vt *Rex per ſe* vocaretur, molitum eſſe [145]. Contra ſilentium enim tot auctorum quam parum valeant coniecturae, vel nobis tacentibus intelligitur. Eodem igitur loco habendam arbitramur CL. CRISENII conciliationem aduerſae vtriusque ſententiae, iisdem rationibus innixam [146]. Denique intercedimus neutiquam, ſi quis cum VORBVRGIO, Imperio et Germanicae magnitudini et amplitudini non parum perniciosſum fuiſſe exiſtimet, Ducem Polonorum vel ſolo Regis nomine ac titulo condecorare; eaque ex re, cum eodem, factum eſſe neget. Adeoque, cum vix Princeps libenter ſuperiorem veneretur, naturaque ſic ſit humana comparatum, vt nihil magis, quam libertatem, appetamus; ac, dum tituli creſcant, liberi etiam iuris cupido creſcat, alieniſſimum fuiſſe a prudentia Imperatoris, tot malis, inde cooriturıs ianuam veluti, feneſtramque aperire, lubentes confitemur.

145 ad VITRIAR. T. I. p. 427. 146 p. 20. 21.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.